




IMAGO
VITÆ
MONASTICAE,

AUTHORE

R.P. JOANNICIO BASILOVITS,

Ordinis Sancti BASILII Magni,

Proto-Hegumeno, & Venerabilis Monaſterii in Monte Csernek, prope Oppidum Munkáts, ad Sanctum Nicolaum Hegumeno concinnata.



CASSOVIÆ,

Ex Typographia Ellingeriana 1802.

APPROBATIO.

Cum de gratiosa Excellentissimi Domini Ordinarii mei dispositione ad interventas preces Reverendi Patris Joannicii Bazilovits, Ordinis S. Basilii Magni Proto-Hegumeni, & Venerabilis Monasteriis in monte Csernek, prope Oppidum Munkáts ad S. Nicolaum Hegumeni opus ejusdem, cui Titulus: *Imago vitæ Monasticæ* revisioni meæ commissum exstitisset; illud solicite legi & scrutatus sum, & quia nihil in illo Dogmatibus, Moribus Christianis, ac Fidelitati erga regnantes altissimas Potestates contrarii ad reperissem: idcirco illud Typis procudi posse censeo. Datum in Residentia Episcopali Ungvariensi, Die sexta Aprilis, Anno Domini Millesimo Octingentesimo secundo.

Ad gratiosum Excellentissimi Domini,
Præsulis & Prælati Michael Sesavniczky,
Cath. Eccl. Munkatsiensis Lector & Canonicus,
SS. Theologiæ Doctor.

INDEX

Eorum, quæ hoc libro continentur.

Series Rerum Partis Primæ.

Series Rerum Partis Secundæ.

Ce-

 Quid-

Series Rerum Partis Tertiæ.

Pa-

Series

Series Rerum Partis Quartæ.





IMAGO VITAE MONASTICAE PARS I.

CAPUT I.

§ I.

Princeps vitæ Monaſticæ Joannes Baptiſta fuit. Hæc ſancti Chryſoſtomi ſententia eſt: ſicut ſacerdotum ait, principes ſunt ſacerdotes Apoſtoli, ſic Monachorum princeps Joannes Baptiſta eſt. Hinc conſiderate Monachi dignitatem veſtram, idem ait, Joannes veſtri princeps eſt dogmatis, ipſe Monachus ſtatim ut natus in eremo vivit, in eremo nutritur. Homil. 1. in Marcum

§. II. Verum juxta ſanctum Hieronymum, Joannem longe præceſſerunt Elias, & Eliſæus cum filiis Prophetarum: filios Prophetarum ait, Monachos veteris teſtamenti Hom. de S. Joanne Baptiſta.

 fuiſſe

Epist. 4. fuisse legi. Item: noster princeps Elias, noster Elisæus,
4 Reg. 6. nostri duces Filii Prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta
Epist. 13. S. Hieronymi. Jordanis. His accedunt, de quibus, ait sanctus Apostolus Paulus. Circuierunt in Melotis, & Pellibus caprinis,
1. ad Hebræos 11. v. 17. egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ.

§ III. Horum exemplo nostri Monachi commoti quietem solitudinis appetentes, gaudia propriæ salutis, ac fidei divino munere sunt consecuti, cæterisque mox exempla sublimioris vitæ, sacratiorisque præbuerunt, ex quibus
In vita S. Pachom. Cap. 1. præcipue fuit sanctus Antonius qui magni Eliæ, atque Elisæi nec non & sancti Joannis Baptistæ æmulator existens, secreta interioris eremi studiô sectatus est singulari, vitamque cœlestium in terris gessit, amore virtutis.

§ IV. Hi prisci quasi Monachi nobis formam aliquam
Ibid. in vita S. Pachom. exhibuerunt, obedientiæ paupertatis, asperitatis in victu, & vestitu ac etiam in labore manuali: Filii namque Prophetarum erant sub Magisterio, & manuductione Eliæ, atque Elisæi tamquam Prælatorum. Colebant quoque paupertatem, quare Cassianus Giezi discipulum Elisæi transgressorem paupertatis inter proprietarios cum Juda, Anania, & Sapphira
Libro 7. Instit. locaverat. Et videamus sancti Prophetæ tenuitatem Monasticam: Cœnaculum parvum, lectulum, mensam, sellam, candelabrum. Quid congruentius Evangelicæ paupertati?
4 Reg. 4. v. 10. Denique ne forent ociosi, cedebant ligna, & sibi construebant tabernacula. Hunc ritum, seu disciplinam Monasticam,

cam, teste sancto Chrysostomo nostri Monachi ab iis tamquam a prototypo acceperunt: In uno castitatis voto superamus eos: nam præter Joannem Baptistam, Jeremiam, Eliam, cum Daniele vix alter quispiam virginitatem coluit. 4 Reg. 6: v. 4. Hom. 69. in Math.

§ V. Apud ipsos infideles etiam ac Ethnicos typus quidam erat vitæ Monasticæ: Sacerdotes Ægyptii, ait sanctus Hieronymus, postpositis omnibus mundi negotiis, curisque soli cultui divino vacaverunt; cognatos ac liberos nunquam viserunt, a suscepto officio mulieribus nullo tempore se miscuerunt, carnibus ac vino semper abstinuerunt: panem raro comederunt; oleum tantum in oleribus noverunt, & ipsum etiam rarum; volatilia, ova cum lacte vitaverunt &c. Narrat præterea apud alios quoque populos fuisse, qui uxoribus, vinô, carnibus, volucribus, piscibus, pomis, cœtisque cibis abstinuerunt, & præter farinam, & olera in cibum nihil acceperunt. Quæ omnia si nos Monachi perageremus, quid non in altera vita sperare possemus? vere gentilitas in Judicio consurget contra nos, & condemnabit nostram ignaviam. Lib. 2. contra Jovin.

CAPUT II.

Status Hominum duplex.

§ I.

Benignus Deus saluti nostræ providens, vitam hominum divisit in duplex vitæ genus, conjugium dico, & Virginitatem, ait sanctus Basilius sermone Ascætico de renun-

tiatione ſæculi, ſeu de abdicatione rerum. Priorem proinde dicit conſiſtere in educatione prolis, poſteriorem vero in continentia, & virginitate.

Lib. 1. de demonſtratione Evang. Cap. 8.

§ II. De hoc duplici ſtatu ita ſcribit Euſebius. Apoſtoli inquit ad Magiſtri ſui mentem auribus multorum doctrinam ſuam accomodarunt, & illis quidem, quos videbant animo paratiores, & ſublimiores ſublimiora tradiderunt, aliis contra, quorum affectus adhuc paſsionibus erant obnoxii, præceperunt humiliora, partim per literas, partim oretenus, ut jam tum Eccleſia duplici via, vitaque diſtincta fuerit, quarum una excelſa ſublimiorque communi vitæ ratione, non nuptias, non ſobolem, non poſſeſsiones, non opes requirens, aut curans, tota ſe ſupra humana, vulgariaque extendit, cultui admirabili, cœleſti amore, ſtimulante Deo conſecrata, cujus ſectatores tamquam mortali vita perfuncti corpore herente quidem in terra, ſed anima per cogitationes translata ad cœlum, quaſi quidam Dii reliquorum vitam ab alto contemplantur, conſecrati ſcilicet omnium Domino pro omnibus hominibus, non per boum mactationes, non cruorum libationes, ſed veris dogmatibus genuinæ pietatis, purgataque mentis affectione, denique verbis, & factis a virtute procedentibus. His ergo placantes Deum ſacrum ſuum Myſterium tam pro ſe, quam pro aliis abſolvunt, & offerunt.

§ III. Altera autem remiſsior, & humanior eſt, concedens ſobrius nuptias, & liberorum procreationem, curamque familiæ, ac docens, quæ agenda ſunt juſte militantibus, admittitque poſſeſsiones agrorum, mercaturam, &

alia,

alia, quæ cum pietate pro vitæ uſu conjuncta ſunt. His ſua tempora pro exercenda pietate ſtatuta ſunt; his dies aſsignati ad doctrinam, & perceptionem verbi divini. Atque hic alter religionis noſtræ ſtatus aptam præbens omnibus utilitatem, qua nullus non particeps fieri poſsit, redemptionis humanæ, Evangelicæque doctrinæ, ſive Barbarus, ſive Græcus.

§ IV. Idem Euſebius, mores, ait, inſpiciamus diſcipulorum Jeſu, inde enim qui libet prudens judicabit dignos eſſe, qui recipiantur: viros ſcilicet idiotas, pii, Philoſophicique Magiſterii ardore — — — ſuccenſos amplexatos vitam duram, & moleſtam jejuniis, & abſtinentia vini, & carnium, plurimisque aliis corporis humiliationibus, votis, & orationibus divinis, præcipue vero temperantia, & caſtitate corporis, pariter atque animæ. Quis enim non demiretur in ipſis, quod intuitu ſummæ Philoſophiæ conjugibus lege conceſsis renuntiaverint, naturales voluptates calcaverint, ad filios, ac nepotes non reſpexerint? ſcilicet immortales, non mortales filios deſideraverunt. Quis non obſtupeſcat mentem ipſorum a pecuniarum amore alieniſsimam? Hujus ſane mentis indicium eſt, quod Magiſtrum inducentem abrenuntiationem auri, & argenti, decernentemque ſubſtantiam ultra unam tunicam nullo modo augendam, non ſolum non fugitarint, verum etiam exoſculati ſint. Denique quod alius nec ad aures quidem admitteret, hi facto executi ſunt, teſte Claudo illo, cui Petrus nec aurum, nec argentum dare potuit, quia non habebat.

Lib. 3. de demonſtr. Evang. Cap. 7.

Lib. 1. Inſtit. Cap. 4.

Et hi ſunt principes, hæc principia vitæ religioſæ. Hinc Caſsianus, Petrum, inquit, & Paulum Authores Monaſticæ vitæ eſſe novimus. Idem docent, & Epiſcopi Concilii Meldenſis Anno D. 845. celebrati: Horum inſtitutio, inquiunt, a Deo inſpirata ab Apoſtolis fundata, & a ſanctis Patribus exculta dicitur.

§ V. Cœnobitas deſcendiſſe ab Apoſtolis, quorum diſtrictam vitam, ac regulam ſancto Marco traditam Caſsianus enarrat his verbis, cum in primordiis, inquit, fidei pauci quidem, ſed probatiſsimi Monachorum nomine cenſerentur, qui ſicut a Beato Evangeliſta Marco, qui primus Alexandrinæ Urbi Pontifex præfuit, normam ſuſcepere vivendi, non ſolum illa magnifica retinebant, quæ primitus Eccleſiam vel credentium turbas in actibus Apoſtolorum legimus celebraſſe: multitudinis ſcilicet credente. Verum his multos ſublimiora cumulaverant. Etenim ſecedentes in ſecretiora ſuburbiorum loca, agebant vitam tanto abſtinentiæ rigore diſtrictam, ut etiam his, qui erant religionis externæ, ſtupori eſſet, tam ardua converſationis eorum profeſsio. Eo enim fervore ſcripturarum divinarum lectionibus, orationique, & operi manuum diebus, ac noctibus incubabant, ut nec eſcarum quidem appetitus vel memoria, niſi altero, tertiove die corporis interpellaret inediam, cibumque ac potum non tam deſideratum, quam neceſſarium ſumerent; & ne tum quidem ante ſolis occaſum, ut tempus lucis cum ſpiritualium meditationum ſtudiis, curam vero corporis cum nocte ſociarent.

CA-

CAPUT III.

§ I.

Monaſtica vita olim dicebatur Philoſophia, ita Philo de vita contemplativa: verſantes, ait, ſacra volumina dant operam Philoſophiæ, quam per manus a majoribus acceperunt, a quibus majoribus? utique ab Apoſtolis, quorum vita fuit, vera Philoſophia Euſebius refert de ſancto Jacobo Apoſtolo: vinum, & ſiceram non bibit, de nullo vivente comedit, novaculam ſuper caput non admiſit, qui eodem Euſebio teſte, a Judæis erat odio habitus: ſed cur? quod usque ad culmen Philoſophicæ vitæ, ac divinæ pietatis aſcenderit. Defunctis autem Apoſtolis, ipſorum diſcipuli non pauci vehementiori Philoſophiæ amore ſuccenſi ſalutarem Dei juſsionem prius implentes egenis diſtribuerunt ſubſtantiam, facto remonſtrantes, quod implere conſilium Chriſti: vade vende omnia, principium vitæ vere Philoſophicæ ſit.

Euſeb. 2. Hiſt. Cap. 23.

§ II. Vitam Monaſticam ſub nomine Philoſophiæ clare deſcribit Sozomenus. Ii, ait, qui Monaſticum vitæ genus excolebant præ omnibus Eccleſiam Illuſtrare, Religionemque Chriſtianam piis ſuis vivendi inſtitutis magnopere dilatare viſi ſunt. Talis ſiquidem Philoſophia a Deo nobis conceſſa res ſane perquam utilis eſt. Nihil illi curæ ſcientiarum varietas; ut inanes negligit dialectorum ſtrophas, & argutias utpote melioribus occupata, a quibus per has facile impediretur, vel certe nihil juvaretur. Itaque ſola naturali, & minime curioſa prudentiâ contenta docet vitia

vel

vel omnino tollere, vel ſaltem minuere, eum autem recipit, qui bona amplectitur; inertem contra, & pravum, tametſi malum fugiat, ſi bonum non faciat, averſatur, omnem gloriam hominum deſpicit mentis paſsionibus fortiſsime reſiſtit, neceſsitates corporales infracte contemnit, ſic, ut infirmitates nec etiam curet. Quippe divinæ mentis virtutem adepta ad omnium rerum Conditorem interdiu, noctuque contendit, Eum colit, ac veneratur, nec unquam ceſſat, Eundem precibus, & obſecratione placare, cunctis eventibus exterioribus altior, nec ullis perturbationibus, aut neceſsitatibus hujus vitæ a propoſito recedit. Injuriis nec dimittitur, nec ad altionem erigitur; non morbi, non inopia neceſſariorum eam dejiciunt, quin in his ſibi placet, ſummumque ſtudium ponit, ut in vita ſe exerceat, in omni manſuetudine, ac tollerantia, quo immortali Deo quantum poſsibile eſt, mortali homini, quam proxime accedat, præſenti inſuper vita tamquam per tranſitum utens, neque angitur deſiderio rerum aquirendarum, neque eas ultra neceſsitatem procurat, ſed vitam ſimplicem, tenuemque comendans aſpirat, & anhelat indeſinenter ad futuram felicitatem, ac beatitudinem. Itaque dum incunctanter ad pietatem extenditur, fit, ut execretur omnem turpitudinis notam, ut nec ad obſcœna quidem verba prorumpat, utpote propoſito ſuo contraria.

Porro neceſsitates naturæ, in aretum contrahens, cogensque corpus paucis eſſe contentum, temperantia libidinem, juſtitia vincit injuſtitiam, veritate mendacium, rectoque ordine, & ſtabili diſpoſitione medium in cunctis tangit.

git. Inconcordia quoque, & communione erga proximum adeo pie ſe gerit, ut omnibus provideat, tam amicis, quam peregrinis. Indigentibus omnia facit communia, ſingulis exhibet neceſſaria, nec hilaritate creat moleſtiam, nec triſtitia confundit miſericordiam. Paucis: hoc eſt omne ejus ſtudium, ut ad curam veri boni ſe extendat, ſapienter dictis, & prudenter excogitatis alios inſtruat, & tamquam medicamentis auditorum animos ſanet, verba faciens debito cum honore, ac verecundia, excluſa omni adulatione, ira, & contentione. Nam cum rationalis tota ſit, fit, ut omnem motum irrationabilem abſcindat, paſsionesque ſive in corpore, ſive in animo reprimat. Initium hujus optimæ Philoſophiæ quorumdam opinione ab Helia Propheta, & Joanne Baptiſta fuit. Hinc perſpicuum eſt vitam Monaſticam quondam fuiſſe Philoſophiam dictam, quam ſi quis fuiſſet amplexatus, Philoſophus dicebatur.

§ III. De ſancto Pamphilo ita ſcribit Euſebius: Vir, inquit, qui per totam ſuam vitam omni erat ornatus virtute, qui ſuis contemptis, & abrenuntiatis, cuncta pauperibus diſtribuerat, mundanis ſpebus abjectis converſatione, & aſceſi Philoſophus. Et ſanctus Gregorius Na- Lib. 8. Hiſt. Cap. 21.
„ zianſenus ait: „ Apud Chriſtianos eſſe multa millia Phi-
„ loſophorum, utriusque ſexus per univerſum pene mun-
„ dum, non modo de obſcuro, ſed etiam de illuſtri ge-
„ nere hominum olim in ſubſtantia, natalibus ac digni-
„ tatibus ſæculi, qui præbent longe majora virtutum exem-
„ pla, quam unquam Philoſophi Ethnici ediderunt." S. Greg. Naz. Orat. 5.

§ IV. Qui se tradebant studio sapientiæ, hi olim dicebantur Philosophi, sapientia autem consistit in recte factis potius, quam in bene dispositis, & ornatis verbis. Hinc ex Barbaris bonis exemplis & operibus alios ad virtutem magis trahebant, quam Græci verbositati dediti. Idcirco Calanus Philosophus ad Alexandrum: Ignis, inquit, corporibus vivis maximos dolores exitat, non sine pernicie; hunc tamen nos despicimus, dum vivi comburimur. Nullus Rex, nullus Princeps potest efficere, ut quidquam agamus præter animi sententiam. Non sumus Græcis Philosophis similes, qui diu meditatos sermones recitant, in celebritatum conventibus: sed res a verbis apud nos non discrepant. Brevi momento, & beatitatem, & libertatem adipiscimur.

§ V. Bonis viris gloriosum est multa agere, pauca loqui, ita condam dixit Imperator Aurelius ad novem Philosophos. In austeritate vitæ, in opum contemptu, in consectandis virtutibus veteres excellebant. Laertius scribit de virtutibus Philosophicis, olim nulli Philosopho docere Philosophiam licuisse, si vel unicum in peculio habuisset argentum; unde Silenus Philosophus, a Mida captus cum lytrum ab ipso peteretur, respondit: „ Argentum, vel aurum a Philosopho petere, quo se redimeret, „ aut scurilem jocum esse, aut tyrannicam violentiam."

Lib. 5. Declam. Cap. 6.

Lib. 2. & 4.

§ VI. Cibis vilissimis vescebantur, & solius aquæ usu pro siti extinguenda, contenti hi Philosophi; ex hoc tenui victu pallida facies nascebatur, & corpus siccum. Insignia laudati ducis sunt cicatrices, & Philosophi dili-

gen-

gentis nota eſt aſperitas, ait M. Aurelius Imperator Epiſtol. ad Epeſip. nepotem.

§ VII. Ex Epiſtola Anachorſidis ad Cræſum ipſorum regulam, & profeſsionem noſſe juvat; ſi neſcis, inquit, Cræſe, diſcas, oportet aſvefacere nos in Scholis Græciæ non imperare, ſed parere, non loqui, ſed tacere; non reſiſtere, ſed obedire; non cupere multa, ſed exiguum boni conſulere, non ulciſci offenſas, ſed ignoſci injurias, non rapere alienum, ſed dare prorium: non affectare gloriam, ſed ſectari virtutem. Denique diſcere nos odiſſe, quæ cæteri amant, divitias ſcilicet, & amare quod cæteri odere nempe paupertatem.

§ VIII. Addit ad hanc rem nonnulla M. Aurelius Epiſtola ad Pollionem Athenis, inquit: Philoſophi in tanta vivebant egeſtate, ut nudi dormirent humi, ac ne frigidam quidem ad ſacietatem biberent, nullus eorum domum habebat propriam: pecuniam non ſecus ac peſtem averſabantur. Pacis inter diſcordes conciliandæ ſtudioſi, & reipublicæ amantiſsimi erant; nunquam verbum loquebantur otioſum, inſtar erat ſacrilegii inter ipſos dicere mendacium. Denique lex inter illos erat ſanctiſsima, ut Philoſophus otioſus relegaretur, vitioſus occideretur.

§ IX. Hoc inſtitutum in primitiva Eccleſia per omnia ſectati ſunt Monachi, imo etiam in multis transcenderunt. Ea de cauſa, & ipſi appellati ſunt Philoſophi, quos ſanctus Gregorius Theologus appellat inveſtes, & pene excarnes, atque exſangues, ac per hoc Deo propinguos, Orat. 3. quibus nihil in mundo, ſed cuncta ſupra mundum, qui- Item Oratione 12.

 bus

bus pſalmodia angelica, noctes ſtatariæ, vigiliæ, jejunia, preces, lachrymæ, calloſa genua; Et idcirco Julianus Apoſtata deridet Monachos, quod longis jejuniis conſumpti, ac vix jam ſemianimes ſint, quod fruſtra vigiliis ſe diſcrucient, quod ſtationibus totarum noctium inſaniant. Sed quid ad nos deriſor hic? Monachis interim merito tributum eſt nomen Philoſophi: nam eadem facies, idem habitus corporis, idem virtutis ſtudium, idem contemptus opum, vitæ, & mortis, idem inſtitutum, & regula morum, eandem contulit appellationem. Unica duntaxat fides, & cultus verus Dei veri diſcrimen facit, quo factum, ut cum Monachi maxime florerent, ipſi ſuperſtitionis juſta mercede delerentur. Invidentes enim Monachorum profectibus cum in locum valentis Imperatoris magicis artibus ad Imperium conarentur evehere Theodorum Gentilem hominem deprehenſi in facto per totum Imperium juſſu Valentis interempti ſunt Zozomeno referente. Unde ſanctus Auguſtinus ait, ſuo tempore Philoſophos Ethnicos non amplius fuiſſe. Manſerunt igitur apud Monachos Philoſophi Chriſtiani, quamvis leges non nihil defecerint.

Idem S. Gregor. Orat. 4.

Lib. 6. Hiſt. Cap. 35.

CAPUT IV.

§ I.

Hæc vox „Monachus" tardius, nempe ſæculo tertio, primum ubique innotuit, vitæ tamen Monaſticæ inſtitutum jam antea fuit. In Oriente citius propagatum eſt,

Romæ

Romæ vero usque ad ſancti Athanaſii tempora ignorabatur, ut ait ſanctus Hieronymus. S.Hieron. Epiſt. 16.

§ II. Originem vocis hujus ſanctus Auguſtinus exponens Pſalmum 132. ita deducit: „Ecce quam bonum, „ & quam jucundum habitare fratres in unum." Iſte dulcis ſonus, inquit, Monaſteria peperit; ad hunc ſonum excitati ſunt fratres, qui habitare in unum concupiverunt. Iſte verſus fuit tuba ipſorum. Ex voce hujus Pſalmi appellati ſunt Monachi, nequis de iſto nomine inſultet Catholicis. Vox enim inſultantium erat: Quid ſibi vult nomen Monachorum? Oſtendite (dicebant Donatiſtæ) ubi ſcriptum eſt nomen Monachorum? Quos ſanctus Pater redarguens ex illo Pſalmo rei, vocisque demonſtrans originem. In unum, inquit, dicitur, quod Græcis Monos eſt, unde Monachi nomen derivatum eſt, non ſimpliciter ab uno ſolo, quod proprie Monos; qui ergo ſic vivunt in unum, ut unum hominem faciant, ut ſit illis vere, ſicut ſcriptum eſt, una anima, & unum cor, multa corpora, ſed non multa corda, recte dicitur Monos id eſt unus ſolus.

§ III. Caſsianus de hoc nomine loquens, ait: Monachos a ſingulari, & ſolitaria vita nominatos. Caſsian. Collat. 18. Cap. 5.

§ IV. Vita Monaſtica a ſui exordio, in activam, & contemplativam diviſa fuit, qui in communitate ſub regimine Prælati operam navabant evellendis vitiis, domandis affectibus inordinatis, inplantandis virtutibus, dicebantur agere vitam activam: qui vero in his exercitati ad perfectionis gradum perveniſſe cenſebantur, hi ſæpe relictis Cœ-

nobiis ſecedebant in ſolitudinem divinis vacaturi contemplationibus, dicebantur eſſe in vita contemplativa, ſicque inter Monachos emerſit diſcrimen, ut illi a vita communi activa vocarentur Cœnobitæ: hi a ſeceſſu vitaque ſolitaria & contemplativa Anachoretæ ſeu Eremitæ.

§ V. Verum tamen non eſt neceſſe, ut ſine vitæ contemplativæ ducendæ ſecedat quis e Monaſterio in ſolitudinem: habent enim & Monaſteria ſuas cellas, in quibus contemplationibus vacare poteſt, modo quis velit; & major perfectio eſt, inter negotia mentem ad Deum elevatam conſervare poſſe.

CAPUT V.

§ I.

Laudant quidem ſancti Patres vitam Anachoreticam propter altitudinem perfectionis; aſt longe melius eſt homini Religioſo in ſancta Societate cum Fratribus, quam
Eccleſ. Cap. 4. v. 10. ſegregatum cum beſtiis vivere. Væ! ſoli, quia cum ceciderit, non habet ſublevantem ſe, & ſi quispiam prævaluerit contra duo unum reſiſtent ei, funiculus triplex dificile rumpitur.
Eccl. 12.

§ II. Sanctus Baſilius Magnus diſertis verbis, ac multis rationibus probat vitam Cœnobiticam præſtare Anachoreticæ, & ſolitariæ. Septima enim regula fuſiori ait: „Vitam, quæ ſimul cum pluribus agitur ad multa utilio„rem eſſe ſcio." Ac primum quidem, quod nemo noſtrum

ſtrum ſit, qui ſibi ipſi ſufficiat ad ſublevandas corporis neceſsitates, ſed in comparandis rebus neceſſariis alter alterius opera indigeamus. Quemadmodum enim pes aliam quidem optinet facultatem, alia vero caret, neque ſine reliquorum membrum aux lio ſuam ipſius vim reperit idoneam, ac perſeveranter ſibi ipſi ſufficientem; ita quoque in ſolitaria vita, & quod adeſt nobis, inutile redditur, & quod deeſt, comparari non poteſt. Si quidem opifex Deus nos alterum alterius ope egere decrevit, ſicut ſcriptum eſt, ut ſic inter nos conjungamur. Sed præterea diligendi Chriſti ratio, & modus unum quemque, quod proprium ſibi fuerit, ſpectare non ſinit, Charitas enim, inquit, non quærit, quæ ſua ſunt: vita autem ſolitaria ſcopum unicum habet, ut ſuis quisque utilitatibus inſerviat, hoc autem aperte adverſatur charitatis legi, quam implevit Apoſtolus, qui non ſua, ſed multorum commoda quærebat, ut ſalvi fierent, — ad hæc, præcepta plura a pluribus ſimul congregatis facile perficiuntur, ab uno non item: quando quidem dum unum fit, impeditur alterum, exempli cauſa: infirmi viſitatio facit, ut hoſpes non excipiatur, neque nutritur, qui eſurit, neque amicitur, qui nudus eſt. Quis igitur inertem, & infructuoſam vitam ei, quæ fructuoſa ſit, & Domini præcepto conſentanea, velit anteponere? &c.

Eccl. 13. v. 20.

Cor. Cap. 13. v. 5.

§ III. Item Conſtitutione Monaſtica Cap. 18. „ Quid „ comparandum eſt huic vitæ Inſtituto? quid beatius? „ quid hac conjunctione, atque unitate perfectius? quid „ jucundius morum, & animorum conſpiratione? Ho„ mines ex diverſis nationibus, ac regionibus profecti,

tam

„ tam perfecte, & ſincere in unum coaluere, ut animus „ unus cernatur in multis corporibus; multa vero cor„ pora mentis unius organa eſſe comperiantur — — — „ tales nos ab initio Deus eſſe voluit — — Hi Servato„ ris, Inſtitutorumque vitæ ejus, quam in carne degit im„ mitatores ſunt ſinceri; Hi Angelorum emulantur vitam, „ illorum exemplo ſocietatem diligenter tuentes.

§ IV. Certe multa ſanctis Patribus ſemper diſplicuere in Anachoretis, quæ in communi vita non reperiebantur: Anachoretis, inquit, ſanctus Ephraim omnia licent, ſed non omnia expediunt; Cœnobitis autem a legitima, & Apoſtolica regula paupertatis, & obedientiæ declinare nefas eſt, adhortatione I. Anachoretæ ſoliciti erant in craſtinum, unde & pecunias habebant, Cœnobitæ nequaquam. Anachoretæ infinitis ſæpe premebantur anguſtiis, tentationibus, infirmitatibus, absque ſolatio, ſic, ut ſæpe mentem perdiderint, ſecus Cœnobitæ.

§ V. Vitam hanc Cœnobiticam; Conſtitutione Mona„ ſtica Capite 18. ita exponit ſanctus Baſilius: „ Perfe„ ctiſsimam, inquit, vitæ ſocietatem appello ego eam, „ qua excluſa eſt omnis poſſeſsio propria, fugataque eſt „ animorum diſſenſio, ea, qua perturbatio omnis, conten„ tioque, & diſsidia abſunt: in qua vero omnia ſunt com„ munia, animæ, ſententiæ, corpora, & quæcunque alia, „ quibus corpora nutriuntur, ac curantur, communis Deus, „ communis pietatis negotiatio, ſalus communis, commu„ nia certamina, communes labores, Coronæ communes, „ ubi multi unus, & unus non ſolus, ſed in pluribus. — —

Qui

„ Qui infirmus eſt corpore, multos habet una ſecum ex „ affectu infirmos: qui animo ægrotat, ac concidit, ei „ præſto ſunt multi, a quibus curetur, pariterque erigatur. Hi æquali jure inter ſe alii aliorum, & ſervi ſunt, „ & Domini, & libertate invicta ſervitutem ſibi invicem exhibent integerrimam: quam vim non peperit fortuiti alicujus caſus neceſsitas, quæ non parvam ſuis „ captivis affert triſtitiam, ſed eam cum gaudio produxit „ liberum animi arbitrium, charitate liberos homines alios „ aliis ſubjiciente, ac voluntate libertatem ſervante. Tales „ nos ab initio Deus eſſe voluit, & eadem de cauſa condidit. Hi peccato primi parentis Adæ occultato antiquum revocant bonum, diviſio enim, diſſenſioque, & „ bellum non exſtaret inter homines, niſi peccatum naturam diviſiſſet. Hi Servatoris Inſtitutorumque vitæ ejus, „ quam in carne degit, immitatores ſunt ſinceri. Quemadmodum enim ille coacto diſcipulorum cœtu omnia „ communia & ſe ipſum communem præbuit Apoſtolis, ita „ hi quoque Duci obedientes, ſi modo probæ vitæ regulam „ obſervent, Apoſtolorum, ac Domini ipſius vivendi genus „ accurate immitantur. Hi Angelorum æmulantur vitam, „ illorum exemplo ſocietatem diligenter tuentes. Nulla „ eſt lis inter Angelos, nulla contentio, nulla controverſia, „ ſed quisque, quæ omnium ſunt, poſsidet, & tamen „ omnes integra bona apud ſe ipſos recondunt."

§ VI. Contemplatio ſummi boni, & virtutum manifeſtiſsima comprehenſio Angelorum eſt theſaurus, ad quæ reſpicere licet omnibus, uno quoque horum notitiam ac

possessionem adipiscente, tales existunt, qui vere sunt ascetæ, qui nequaquam vindicant sibi terrestria, sed discerptant de cœlestibus, eademque singuli individuis quibusdam partitionibus apud se quisque integra recondunt. Virtutis enim possessio est, & rectefactorum divitiæ, & laudanda avaritia, & lachrymarum expers rapina, & insatiabilis aviditas coronam consecuta, & reus efficitur, quisquis vim non facit. Rapiunt omnes & nemo afficitur injuria, ob idque pax has divitias dispensat. Hi promissi regni bona præripiunt, qui per eximiam suam vivendi rationem, ac societatem plane immitantur vitam Cœlestem, ac statum. Hi sunt perfecti inopes, nihil proprium, sed omnia communia inter se habentes.

CAPUT VI.

§ I.

Cessantibus persecutionibus Ecclesiæ vita communis seu Cœnobica industria sancti Antonii, qui Anno Domini 273. factus Monachus per Ægypti Provinciam in eremo in immensum creverat. Monachorum illorum teste sancto Hieronymo prima confœderatio fuit obedire Majoribus, & quidquid jusserint, facere. Divisi erant per decurias, atque centurias, ita ut novem hominibus decimus præesset, & rursus decem præpositos centesimus haberet. Manebant separati, sed junctis cellulis, usque ad horam nonam, ut institutum erat, nemo pergebat ad alium exceptis his

S. Hier. Epist. 22.

Deca-

Decanis, quos diximus, ut, ſi cogitationibus forte quis fluctuaret, alius conſolaretur alloquiis, poſt horam nonam in commune concurrebatur. Pſalmi reſonabant, ſcripturæ recitabantur ex more. Et completis orationibus, cunctisque reſidentibus, medius, quem Patrem vocabant, incipiebat diſputare, quo loquente tantum ſilentium fiebat, ut nemo alium reſpicere, nemo auderet excreare. Dicentis laus in fletu erat audientium. Tacite volvebantur per ora lachrymæ, & ne inſingultus quidem erumpebat dolor. Cum vero de regno Chriſti, & de futura beatitudine, & de gratia cœpiſſet annuntiare futura, vidiſſes cunctos moderato ſuſpirio, & occulis ad cœlum levatis intra ſe dicere: quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo ut requieſcam? Poſt hæc Concilium ſolvebatur, & unaquæque decuria cum ſuo Parente pergebat ad menſas, quibus per ſingulas hebdomadas viciſsim miniſtrabant. Nullus in cibo ſtrepitus, nemo comedens loquebatur. Vivebatur pane, leguminibus, & oleribus, quæ ſale ſolo condiebantur.

§ II. De hinc conſurgebant pariter, & hymno dicto ad præſæpia redibant. Ibi usque ad veſperam cum ſuis unus quisque loquebatur, & dicebat: Vidiſtis illum, & illum? quanta in ipſo ſit gratia? quantum ſilentium, quam moderatus inceſſus? Si infirmum vidiſſent, conſolabantur: ſi in Dei amore ferventem cohortabantur ad ſtudium. Et quia nocte extra orationes publicas in ſuo cubili unus quisque vigilabat, circuibant cellulas ſingulorum, & aure appoſita, quid facerent diligenter explorabant, quem tardiorem deprehendiſſent, non increpabant, ſed diſsimulato,

quod nossent, eum sæpius visitabant, & prius incipientes provocabant magis orare quam cogebant. Opus diei statutum, quod Decano redditum ferrebatur œconomo, qui & ipse per singulos menses Patri omnium cum tremore reddebat rationem, a quo etiam cibi cum facti fuissent, prægustabantur, & quia non licebat dicere cuiquam: tunicam & sagum, textaque juncis strata non habeo, ille ita universo moderabatur, ut nemo quid postularet, nemo non haberet. Si quis vero cepisset ægrotare, transferebatur ad exedram latiorem, & tanto senum ministerio confovebatur, ut ne delicias Urbium, nec Matris quæsivisset affectum. Dominicis diebus orationi tantum, & lectionibus vacabant, quod quidem, & omni tempore, completis opusculis, faciebant, quotidie aliquid de scripturis disceptabatur. Jejunium totius anni æquale erat, excepta Quadragesima, in qua sola concedebatur ditrictius vivere: a Paschate ad Pentecostem cœnæ mutabantur in prandia, quo & Ecclesiasticæ traditioni satis fieret, & ventrem cibo non onerarent duplicato.

§ III. Et hæc est genuina imago vitæ Monasticæ Cœnobiticæ, qua quid æstimabilius? quid pretiosius? vere si homo dederit omnem domus suæ substantiam pro ea aquirenda quasi nihil despiciet.

CAPUT VII.

§ I.

Primis temporibus non solum Eremitæ, sed etiam Cœnobitæ sua diversoria habebant in eremis, agris, hor-

tis

tis vallibus, ac montibus. Primique Monachi ſecreta loca amaverunt, atque omnem populi tumultum averſati ſunt. „ Villas, & domos devita, ut laqueos ſatanæ: ait ſan„ ctus Baſilius, epiſtola ad Chilonem. Et non te delectent „ turbæ, non villæ, aut oppida, ſed Eremus. Sanctus „ Antonius a turbis usque adeo abhorruit, ut relicta exte„ riori ſolitudine ad quam ob ejus virtutes populus un„ dique confluebat, ſeceſſerit in interiorem. Sanctus Atha„ naſius in vita ſancti Antonii: hoc uſus exemplo: ſicuti „ piſces ab aqua extracti mox in arenti terra moriuntur, „ ſic & Monachos cum ſecularibus ſe retardantes humanis „ confabulationibus confeſtim reſolvi. Ob id ergo, inquit, „ convenit, ut quemadmodum piſces ad mare, ita nos ad „ montem interioris Eremi feſtinemus, ne tardantibus no„ bis aliqua propoſiti ſuccedat oblivio."

S. Athan. in vit. S. Anton. 53.

§ II. Sanctus Baſilius quietis gratia, & contemplationis ſcripturarum commodiſsimum locum ſibi in ponto elegerat, a tumultibus Urbanis ſe motum, cauſam indicans, quod vita urbica multorum malorum cauſa ſit. Reliqui, inquit, urbis commorationes, ut innumerabilium malorum cauſas, abſceſsi in Pontum vitæ inſtitutum quærens; plurimum affert adjumentum ſolitudo, quæ vitioſos animi noſtri motus conſopit, ac rationi otium dat eos ex animo penitus exſcindendi.

Epiſt. 1.

Epiſt. 19. Nro 1.

Epiſt. 1. Nro 2.

§ III. Habitatio etiam vicis vicina ſæpe perfectis quoque nocuit Monachis ex frequentiori hominum converſatione occaſionem tentationis præbens diabolo. Suavis proinde Eremus lugentibus, & ſolitudo. Exclamat ſanctus

 Gre-

Gregorius Nisens: Homil. in Baptismum Christi; Monachorum est proprium lugere; quid itaque amabit magis quam solitudinem? & quidem eam, quæ juxta sanctum Basilium nec viatorem admittit, per quem exercitationis
Epist. 1. circa fin. ejus studium interrumpi queat. Primum semper principium Monachorum fuit latere. Arsenio cœlitus dictum est: Fuge, tace, quiesce. Neque nobis in vicis, ac Castellis
Paræn. 14. conversari expedit. Fratres! ait sanctus Ephraim: „ Si „ autem te ad oppidum, aut Castellum traxerit necessitas, „ ne cum fœminis colloquaris: Nam sicuti quis hamum „ deglutit, ita tua abripietur anima. Qui vitas Patrum „ legerit, facile deprehendet, quam multi boni Monachi „ hoc hamo sint inescati, & capti. Nota sunt scandala „ mundi, qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Mane
Eccles. 13. „ igitur ait Ephraim in solitudine: ne & tu ad mundum „ conversus, ea, quæ retro sunt, respicias, neque in Civi„ tatibus, & Castellis, vicisque converseris; neque cum „ mundanis demoreris, ne vias eorum addiscas, recedatque „ anima tua a Deo tuo, vero animarum nostrarum sponso, „ non enim & Angelus esse potest, & homo; sanctus „ Ephraim de Monacho, & turture."

§ IV. Quid ergo causæ fuit? quod Cœnobitæ relicta solitudine, & Eremo tandem in Urbes, & Vicos commigraverint, locaque publica inhabitare cœperint? Certum est eos temere id haud fecisse. Et quidem cumprimis salus animarum, ac Ecclesiæ necessitas poscebat, eorum succursum, ac opem in afflictissimo oppressionis statu constitutæ, Arius, Eunomius, Macedonius, aliique Hæresiarchæ

præ-

præcipuam huic rei occaſionem dederunt, quibus niſi Monachi occurriſſent, quam miſere dilaniata fuiſſet Eccleſia!

§ V. Primus ſanctus Baſilius Cœnobia in Urbibus excogitavit, ritum illum antiquum Monachorum, atque agreſtem ad ordinem quemdam formulamquem religioni propiorem reduxit. Ait ſanctus Gregorius Nazianzenus: in oratione de ſancto Baſilio. Hic proinde ex Eremo in Urbes Monachos tamquam coadjutores ſecum attraxerat, & utrumque vitæ genus, id eſt: vitam activam, ſeu Cœnobiticam, & vitam contemplativam, ſeu Anachoreticam conjungere conatus eſt. Quamobrem Monachorum Cœnobia haud procul ab iis, qui in hominum ſocietate, vivunt, ædificare juſsit.

§ VI. Exemplum ſancti Baſilii alii ſecuti Præſules, maxime qui de Monachismo aſſumpti ad Eccleſias regendas, Urbes Cœnobiis paulatim repleverunt incredibili Eccleſiæ commodo. Non ſola neceſsitas Eccleſiæ Monaſteria fundavit in Urbibus, verum aliæ inſuper cauſæ: crudelitas Barbarorum coegit Monachos ex Eremis ad Urbes confugere, qui ingentem ſæpe eorum ſtragem per Orientem ediderunt. Sanctus Baſilius etiam propter attrocitatem hyemis per Urbes, & vicos Galatiæ & Cappadotiæ aliarumque finitimarum Provinciarum eosdem diſpoſuit. Victus quoque neceſsitas, ac devotio fidelium cauſam dedit, in vicis & Urbibus Cœnobia ædificandi, item defectus ſolitudinum & Eremorum in nonnulli Provinciis.

§ VII.

§ VII. Obſervandum: Græci Monaſticis habitaculis varia Nomina dederunt: Primo vocant Cœnobium, nomen hoc ab ipſo etymo communis vitæ deſumptum propter vitam communem, quam ducebant. Cœnobitæ, ait Caſſianus: „ Cœllæ ac diverſoria ipſorum Cœnobia appellata „ ſunt. Secundo, dicunt, & Monaſteria a Monachorum „ inhabitatione, Monachus, & Monaſterium a Græco „ vocabulo Monos originem habet. Cœnobium, & Mona„ ſterium inter ſe differunt; Cœnobium enim eſt, ubi co„ habitantium plurium degit unita communio. Monaſte„ rium vero nominari poteſt etiam unius Monachi Cœlla, „ aut duorum. Tertio ſanctus Baſilius in Aſceticis, Cœno„ bia vocat Mandras, quod ovile ſignificat; differentia „ tamen inter Mandram, & Cœnobium eſt, quia Mandra „ ſicut Ovile, eſt Monaſterium circumſeptum. Hinc quia „ paulatim Cœnobia varias ob cauſas circumſepiri ſole„ bant, Abbates communiter Archimandritæ nominati ſunt. „ Quarto: Lauræ etiam Cænobia dicuntur. Inter Monaſte„ rium, & Lauram diſcrimen eſt, quia in Monaſteriis vi„ vebant, ſub uno tecto, & Paſtore, qui vero Lauras in„ colebant, reguntur quidem ab uno Abbate, ſed in ſejun„ ctis tectis tamquam in tabernaculis. Ita ſancti Sabbæ „ Laura Cœllas habebat 150. quæ pulchro ordine in ſoli„ tudine juxta torrentem conſtructæ erant; verum uſus „ Laurarum in Urbibus non habet locum.

Caſsian. Col. 18. Cap. 5.

S. Baſil. in Aſcet. Cap. 33.

CA-

CAPUT VIII.

De Aedificatione Monasteriorum.

§ I.

In constructione Monasteriorum vitandus est omnis splendor, & limes paupertatis servandus. Antiqua Monasteria testantur, quam nihil soliciti fuerint, majores nostri desplendore habitationum suarum. Si aëris injuriæ excluderentur, id porro satis erat. Patres nostri studuerunt potius dilatare corda, quam habitacula, memores antiqui testamenti prædecessores suos habitasse in speluncis & cavernis terræ. Hinc multi ex Monachis in solis petris, & cavernis habitarunt, & tam arcte se incluserunt, ut neque radius solis ad ipsos unquam penetraverit. Talis fuit sanctus Macarius Alexandrinus in diversis Eremi partibus tres cellulas absque fenestris habens, unam tam angustam, ut pedes non valeret extendere, & tamen in his tenebris sedens solitus fuerat jejunium quadragesimale absolvere. Quot sancti cum adhuc in vivis essent inter mortuos habitaverunt in sepulchris. Proinde quam longe abfuit omnis Magnificentia ab habitaculis antiquorum Monachorum? Si quid superflui habebant, distribuebant in egenos, non vero impendebant in ædificia, vel non necessaria, vel contra Monasticam Professionem ambitiosa. Recte igitur aliquando suis Monachis quidam Prælatus dicebat: simul, atque Monachus ædificatorio operi se se

ultro immiſcet, dæmonis Imperium ſubit, a quo ita mente excecatur, ut nequidem ipſos paupertatis exceſſus animadvertat. Ita Zacharias Bovertius in Animal. Cupucinor. de Anno 1549.



IMA-

IMAGO
VITAE MONASTICAE
PARS II.

CAPUT I.

De Novitiatu.

§ I.

Ad vitam Monasticam cuivis aditus patet: licitum enim est; ait sexta Synodus generalis. Licitum est, Christiano, in quocunque delicto comprehendatur, Ascesticam arripere vitam, depositisque mundi tentationibus, Monasterium ingredi, & juxta formam Monasticam tonderi; Salvator enim dicit, eum qui venit ad me non ejiciam foras, Monasteria proinde pœnitentibus peccatoribus ita patere debent, ut confessionalia cujusvis generis, & conditionis hominibus fidelibus, quopiam impedimento non ligatis, sint illi nobiles vel ignobiles, sive senes, sive juvenes. Sanctus Ephraim sæpius docens, ait, recipiendos esse senes. Et sanctus Antonius suscepit Paulum simplicem sexagenarium; sicut & sanctus Pachomius Macarium Virum provectæ ætatis.

Synod. gen. Can. 42.

Fol. 288. 316. 770.

§ II. De pueris comperta res eſt, duo ſenes ſuos filios vix ablactatos ſecum detulerunt, ut Pellagius refert. Item ſanctus Pachomius ait, in ſuo Monaſterio fuiſſe parvulos tantæ ſimplicitatis, ut nec dextram, nec ſiniſtram noverint diſcernere. Sanctus Benedictus quoque jubet recipi pueros. Et multi ſecundum ſanctum Ephraim recepti ſunt. Quippe bonum eſt Viro ſi portaverit jugum ab Adoleſcentia ſua. Quin ſanctus Chryſoſtomus docet magis idoneos eſſe ad Monaſticen in ætate minori pueros rudes, quam ſi prius literati forent, quia plantæ impuberes, nullo negotio, quo placet diriguntur.

Pellag. Libro 5. Nro. 21,22.

Vita S. Pachomi Cap. 33.

In reg. Cap. 59. & 70.

Adhort. 3. Thren. 3

S. Chry. Lib. 3. ad ver. vitup. vitæ Monaſticæ.

§ III. Denique ſanctus Baſilius pueros ad vitam Monaſticam recipiendos eſſe conſtituit pupillos quidem noſtra ſponte, oblatos vero a parentibus coram teſtibus per Magiſtros Novitiorum inſtituendos. Interim ad ſenſum regulæ 15. fuſioris, non ſtatim ſenioribus fratribus ſunt incorporandi, neque cum illis converſari debent, niſi tempore laborum, ne ſenium ipſis fiat deſpectabile, in divinis tamen officiis, & orationibus ſimul ſint: Nam & pueris ex fervore perfectorum ad compunctionem non leve auxilium accedit. Habeant alias ædes, diætam, ſomnum. Diſciplinam ſeorſim excreſcant, ſub viro provectæ ætatis, & multæ experientæ, & qui teſtimonium lenitatis habeat, ut paternâ miſericordiâ delinquentes corripiat, ac certis modis caſtiget: in doctrina inſtruat, in hiſtoriis & proverbiis divinæ ſcripturæ, non in fabulis aut nugis — — — & cum ad id ætatis venerint, qua mortaliter peccare poſſunt, ad profeſsionem Virginitatis admit-

admittantur. — — — Si qui vero profefsionem emittere nolunt, coram teftibus emittantur — — — edita profefsione fraternitati incorporentur, cum illis communem diætam, & victum habituri.

§ IV. Communiter fancti Patres liberiorem cum pueris converfationem prohibent ob vitium, quod Græci Pæderaftiam nominant, etiam Monachis infeftum. Multi eo ceciderunt, Horrendum dictu, quid frater quidam cum certo Adolefcentulo fecerit fub occulis fancti Macarii referente Joanne Subdiacono. Non immerito igitur hortatur Monachum fanctus Ephraim, ut fe cuftodiat, fi contingat loqui cum formofis Adolefcentulis. Sanctus Dorotheus jubet amicitiam, & colloquia Adolefcentulorum fugere, ut amicitiam Diaboli.

Joann. Subdiac. Lib. 4. Nro 34. de vit. fpirituali.

Doctrina 20.

§ V. Sanctus vero Bafilius de renuntiatione fæculi, fuge, ait, converfationem juvenum, & aufuge ab ipfis, veluti a flamma: multos enim per ipfos incenfos hoftis æterno igni tradidit, & in horrendum quinque Civitatum barathrum fpiritualis dilectionis fpecie ipfos immerfit, & eos, qui in pelago ab omni vento, ac tempeftate fervati funt, intra portum fubmerfit. Procul ab ipfis fede. In reclinatione ad fomnum indumenta tua ne fint vicina ipfius. Cum tecum loquitur, deorfum nutans, refponde ipfi, ne forte per intuitum in faciem concupifcentiæ femen ab hofte fufcipias, & manipulos corruptionis, aut interritus colligas, ubi non eft, qui videt opera veftra, nullo loco, aut prætextu inveniaris cum illlo; nihil enim magis neceffarium eft animæ pro qua, Chriftus mortuus eft.

§ VI. Conjuges ad Religionem suscipiendi non sunt consumato Matrimonio, nisi de mutuo libero consensu, & nisi uterque simul ingrediatur religionem, aut alteruter in sæculo manere volens, emmittat votum servandæ perpetuæ continentiæ in ætate jam senili constitutus. Servi absque Dominorum suorum consensu ad Monasticam vitam recipi nequeunt.

CAPUT II.

De susceptione Novitiorum.

§ I.

Monasterium ingredi non est leve negotium, Bellum militum breve, ait sanctus Ephraim sermone ad pietatem exercendam: sed Monachi pugna quousque migrat ad Dominum, durat. Bellum hoc tam diuturnum, ut eo melius cognosci valeat, neque excusationis locum haberet ignorantia, quidam Patres censuerunt valde juvenes non esse suscipiendos.

Canone 40. § II. In Canonibus ad sextam Synodum generalem dicitur. Quoniam Deo adhærere per secessum e vitæ strepitu bonum est, oportet nos eos, qui vitam Monasticam amplecti cupiunt, non sine delectu præter tempus admittere, sed servare a Patribus ad hoc datum tempus, nempe ut professionem religiosæ vitæ admittamus illam, quæ sit facta scienter, ac cum judicio post rationis com-

pie-

plementum. Itaque jugum ſubiturus Monaſticum minor decenni non eſto, ita tamen, ut & ſic in arbitrio Antiſtitis ſitum ſit, an non ſit conducibilius terminum hunc ad Monaſticen prorogare. Etſi enim magnus Baſilius in ſuis ſacris Canonibus eam, quæ ſe ſua ſponte Deo offert, & Virginitatem complectitur, ſi ſeptimum, decimum annum compleverit, in virginum Ordinem referendam eſſe ſtatuit, verum tamen nos ſecuti exemplum de viduis, & diaconiſsis in prædictum tempus eos, qui Monaſticen non ſatrationabiliter apprehenderunt, concluſimus.

In Oxonienſi Concilio A. D. 1222. celebr. in Anglia ſtatutum eſt, ut extra evidentem neceſsitatem Monachus non reciperetur minor decem, & octo annis ubi plenum rerum agendarum judicium eſt, id ipſum prius ſtatuit Gregorius Magnus Anno ſui Pontificatus ſecundo. Vit. S. Gregorii Tom. II. p. 2. Concil.

§ III. Verum quacunque ætate quis ad Religionem acceſſerit nullus, tamen unquam ad Profeſsionem admittebatur, quin prius fuiſſet certo modo ac tempore probatus. Tempus apud plures in arbitrio erat, Paulus ſimplex intra paucos dies abſolvit Novitiatum ſuum „ Pàlladius vita Pauli Leont." Danieli Stylitæ duodenni puero non niſi regula perlecta eſt. In Concilio Triburienſi An. 895. celebrato. Præſcribitur annus, & dies, & Concilium quoque Tridentinum annum decrevit unum, & obſervatur. Sanctus Pachomius ante triennium neminem admiſit ad Profeſsionem Monaſticam. Metaph. vita Daniel. in Concil. Trib. A.D. 895. celeb. Cap. 24.

§ IV. Ante initium Novitiatus debebant olim mirabilem ſubire probationem, vitam Monaſticam amplexuri. Seſſe. 25. Cap. 15. reform.

Ta-

Tabenneositæ nullum recipiebant ad Monasterium, qui non prius decem dies, aut plures pro foribus excubans omnium pedibus advolutus ingressum petiisset, ut sic humilitas, patientia, & constantia futuri militis Christi exploraretur. Quem ritum, e syri observabant, ut beatus Ephraim scribit sermone ad pietatem exercendam. Frater, inquit, si ad certamen ingrederis sobrium ac vigilantem te præbe. Ergo quicunque cupit esse Monachus ad fortiter sustinendum se promptum exhibeat, ne ingressus dicat, ignorasse se, quod ista sibi eventura essent. Ecce præscivisti ista frater, ut & tu cogitationem tuam componas, sciens quod in hoc manifestabitur tua probatio. Intellige, quod dicitur Frater, ne hodie proforibus consistens interogatusque dicas, omnia suffero, cras autem in verbis, & operibus detrectes. Angeli enim Dei adstant, audiuntque de labiis tuis procedentia. Hunc ipsum morem pro Monasterio expectandi sanctus Benedictus transtulit in Occidentem. Per quatuor, inquit, aut quinque dies foris maneat pulsans, & injurias patienter toleret. Postea sit per paucos dies in cella hospitum, inde ducatur ad cellam Novitiorum, ubi comedat, dormiatque &c. Detur ei Magister. Post duos menses legatur ei regula, & iterum post sex menses, & denuo post quatuor, sicque anno absoluto suscipiatur.

Casian. Lib. 4. Inst. Cap. 3.

Regul. Cap. 58.

§ V. Ubi non fuit consuetudo pro foribus standi, aliter postulantium probatur propositum, novimus, ait Cassianus, quemdam fratrem secundum sæculi hujus ordinem summæ familiæ, nam Patre Comite, & ditissimo oriundus erat, qui relictis Parentibus cum ad Monasterium per-

Casian. Lib. 4. Inst. Cap. 29.

vo-

volaſſet, ad comprobandam ejus humilitatem ſtatim ei a Seniore præceptum eſt, ut decem ſportas grandes, quam neceſſe non erat tunc vendere, cervicibus ſuis impoſitas, diſtrahendas per plateas circumferret, adjecta conditione, quo diutius in hoc officio ipſe detineretur, ut ſi forte unus eas emere pariter voluiſſet, non cederet, ſed ſingillatim eas quærentibus venderet. Quod ille tota devotione complevit, & omni verecundia pro Chriſti deſiderio calcata ſportas humeris ſuis imponens, & per plateas portans, ſtatuto pretio diſtraxit, & pecuniam ad Monaſterium reportavit, probata ergo ejus humilitate ſuſceptus eſt.

§ VI. Cum quidam frater ſuſcipi ſe rogaret in congregationem referente ſulpitio. Abbas multa cœpit ei proponere; graves eſſe illius diſciplinæ labores, ſua vero dura imperia, quæ nullius facile poſſet implere patientia, aliud potius Monaſterium, ubi facilioribus legibus viveretur expeteret: & non tentaret aggredi, quod non poſſet adimplere. Ille vero his terroribus nihil permoveri, ſed magis omnem obedientiam ita polliceri cœpit, ut ſi eum Abbas in ignem ire præciperet, non recuſaret intrare. Quam illius profeſsionem, ubi Abbas accepit, non cunctatus probare, jubet eum in clibanum, qui coquendis panis parabatur intrare. At ille non diſtulit parere præcepto; ſed ſtatim medias flammas nihil cunctatus ingreſſus eſt. Quæ mox tam audaci fide victæ, veluti illis quondam Hæbreis pueris, ceſſerunt, & confeſtim fugit incendium. Alter virgam aridam per triennium juſſus eſt

Sulpi. 1. Dialog. Cap. 12.

 riga-

rigare donec tandem virga hæc effloruit. Alter peccata grandia ſua publicæ juſſus enarravit.

§ VII. Quantum tentata eſt, a ſancto Antonio patientia, & obedientia Pauli ſimplicis? Sexagenarius ſenex ad illum Magnum venerat, ut Monachus fieret, per triduum impranſus, & incœnatus expectavit ſententiam, & reſponſum. Antonius tandem hoc ſtabili propoſito expugnatus, poteris, inquit, eſſe ſalvus, ſi habeas obedientiam, & quod a me audieris, facies. Faciam, ait, Senecio, quæcunque juſſeris. Talemque vitæ aſperæ agendæ rationem ſuſcepit illis diebus Antonius, qualem quando erat in principio juventutis; cujus immitatorem in cunctis habuit ſuum ſimplicem Tyronnem. Poſt hæc viſa ejus mente adverſis nihil moveri, cœpit tentare eum circa obedientiam præcipiens ei multa contraria: Jubet haurire ex puteo aquam, & in terram toto die effundere; contextas ſportellas reſolvere, & retexere, veſtimentum diſuere, & reſuere, & iterum diſolvere: Urnam melis frangere, & mel effundere, effuſumque Concha colligere, ne ſordes ſimul colligerentur, quod erat difficillimum. Quid multa? in pluribus hujusmodi ſenex, ſenem probaverat, ut in nullo prorſus eorum, quæ etiam contra rationem videbantur, diſceret contradicere. Sed quo fructu? ob ſimplicem hanc obedientiam accepit Paulus poteſtatem a Deo in dæmones, quanta non eſt data Antonio.

Pallad. Vit. Pauli Ruff. in Lib. 1. vit. P.P.

§ VIII. Priusquam ingrediatur quis in Monaſterium, probet ſe ipſum per rigorem vitæ, ne inopinatis ſemet immittens certaminibus, deinde impotens exiſtat ad reſi-

ſten-

ſtendum ingruentibus experimentis, redeatque ad vitam ſæcularem cum animæ condemnatione, multis ſcandalum præbens, monet ſanctus Baſilius. In ingreſſu proinde, & profeſsione Philoſophiæ cogita quid tibi propoſueris, ait ſanctus Gregorius Nazianzenus. Diteſcere, læto animo eſſe? in hac vita florere? & quiete frui? aut ex adverſo, adverſitatibus premi? affligi? vexari? omnibus contemptum eſſe? ſufferre ſpe futurorum cuncta? Hæc, non illa expectabamus, non ignoro? non ergo ſolvemus pactum? Ingreſſurus itaque Monaſterium quivis cum Abbate Neſtero habeat intentionem: quando intravi, inquit, initio in congregationem, dixi animo meo, Tu & Aſinus unum eſtote, ſicut enim Aſinus vapulat, & non loquitur, injuriam patitur, & non reſpondet, ſic & tu: quemadmodum enim Pſalmo legitur: ut jumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.

S. Baſil. Ser. de abdi. rer.

S. Gregorius Nazianzenus. Epiſt. 201.

Pſal. 72. Pellag. Libro 15. Nro 30.

§ IX. Poſt ſufficientem probam, qui in ſuo propoſito conſtantes inventi erant, olim Magiſtro tradebantur, ut eos per certum tempus in rebus Monaſticis inſtrueret, quod fiebat in ſeparata habitatione, ut profeſsi cum Novitiis non commiſcerentur. Hactenus, inquit, ſanctus Ephraim in exteriore verſatus es tholo, nunc vero in interiorem tholum, ac domum introiſti. Pachomiani novitii integrum triennium extra addita in cælla novitiorum perſeverare debeant, ſub duris laboribus, & exercitiis, ac tum primum introducebantur in domum profeſſam. Quippe multæ rationes ſuadent, ut novitii ſeparatim inſtruantur, & habitent.

CAPUT III.

De singulari Novitiorum instructione.

§ I.

Novitio ante omnia Magister est necessarius, nihil est enim miserabilius, nihil expugnabilius his, qui nullos Duces, nullos Authores habent ad vitam Dei, santi Dorothei sententia est; Ex doctrina vero sancti Basilii. Magistrum hunc oportet esse virum virtutibus ornatum, cujus universæ totius ipsius vitæ actiones, testimonio sint charitatem in eo erga Deum inesse, divinarum litterarum peritum, virum integrum, tranquillum, ab avaritia ab horrentem, osorem negotiorum mundanorum, quietum, Dei, pauperumque amatorem, non iracundum, immemorem injuriarum, ædificationi proximorum aptum, vana gloria non elatum, tumenti superbia non inflatum, adulationis inimicum, constantem; quippe bonorum Magistrorum bona doctrina est, quemadmodum prorsus malorum mala.

§ II. Prima Doctrina Novitio, ut docet sanctus Hieronymus. (Hieron. Epist. 4.) Tradi debet: facere, quod non vis: comedere, quod juberis: vestiri, quod acceperis, operis tui pensum perficias: subjiciaris, cui non vis. Lassus ad stratum venias, ambulansque dormites, & necdum expleto somno surgere compellaris. Dicas Psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur, ser-

ſervias fratribus; hoſpitum laves pedes; paſſus injuriam taceas, Monaſterii Præpoſitum timeas ut Dominum, diligas ut Parentem, credas tibi ſalutare, quidquid ille præceperit, nec de majorum ſententia judices.

§ III. Pleraque hæc innituntur fundamento obedientiæ, quæ præcipua ſemper, & prima virtus eſt habita apud Religioſos, neque aliter ſuſcipiebatur quis adveniens ad Monaſterium, quam qui tentatus prius fuerit, & probatus nullum unquam recuſaturus etiam ſi arduum, & difficile, intolerabileque Abbatis Imperium. Senioris, ait Caſsianus: Hæc erit ſolicitudo, & eruditio principalis perquam junior introductus aſcendere conſequenter, etiam culmina perfectionis ſumma prævaleat, ut doceat eum primitus ſuas vincere voluntates; quem ſtudioſe in his, ac diligenter exercens hæc illi ſemper imperare de induſtria procurabit, quæ ſenſerit animo ejus eſſe contraria.

Caſsian. Lib 4. Inſt. Cap. 8.

§ IV. Quomodo Magiſtri per obedientiam probare novitios, & quomodo novitii Magiſtris obſequi debeant, utiliſsimum nobis Joannes Climacus hujus rei exemplum exhibet. Iſidorus vir, quidam apud Alexandriam primarius relicto ſæculo venerat ad Monaſterium recipi poſtulans. Aſpectus ipſe indicabat virum eſſe aſperum, intractabilem, ſuperbum, ac ſæculi dignitate tumentem. Hæc vitia Abbas correcturus, ait ad ipſum: ſi revera tollere jugum Chriſti decreviſti, præomnibus impero, ut te laboribus obedientiæ exerceas, cui ille reſpondit: ſicut fabro ferrum ſubjectum eſt, ſic & ego ſanctiſsime me ipſum obedientiæ expono. Quo ille audito reſponſo: Volo, inquit,

Joann. Climacus Gradu 4.

frater, ut ingredientium, & egredientium provolutus genibus, dicas: Ora pro me Pater, quoniam peccator ſum, ſic autem ille obedivit, ſicut Angelus Domino. Itaque cum ſeptem annis illic peregiſſet, atque ad profundiſsimam humilitatem, compunctionemque perveniſſet, voluit Pater poſt tantam viri tolerantiam hunc fratribus connumerare. Arduus iſte, ac per ſeptennium productus Novitiatus fuit; ſed commenſuratus ſubjecto: omnes condam circa obedientiam exercebantur, ſed aliter ſimplices, ac modeſti, aliter ſuperbi, & contumaces. Novit diſcretus modos frangendi proprias voluntates ſuorum. Olim in obedientia adeo accurati erant, ut juvenes nec ad requiſita naturæ pro arbitrio irent. Dato ſigno certatim ex cubilibus prorumpebant ita expedite, ut is, qui opus ſcriptoris exercebat, quam repertus fuiſſet inchoaſſe literam, finire non auderet; omnia enim obedientiæ poſthabenda cenſebant.

§ V. Nec minor cura adhibebatur religioſæ paupertatis: ſumma namque diligentia, perquirebatur, ne novitio Chriſti militi de priſtinis facultatibus inhæreret, vel unius nummi cogitatio. Sciebant enim ſub Monaſterii diſciplina diuturnum eſſe non poſſe, ſed, ne humilitatis quidem, aut obedientiæ apprehenſurum eſſe virtutem, nec illa Cœnobii paupertate, ac diſtrictione contentum fore eum, in cujus conſcientia pecuniæ quantulumcunque latitaverit. Caſsianus ait: Hinc ne ipſum quidem, quo operti erant, indumentum habere permittebantur, ſed inveſtiarium reponebatur poſt acceptum habitum Monaſticum.

Caſsian. Cap. 3.

§ VI.

§ VI. Jubebantur etiam Noviti ſuas cogitationes Moderatoribus revelare. Humilitatis, ait Caſsianus, hæc erat prima probatio, ſi univerſa non ſolum, quæ agenda ſunt, ſed etiam, quæ cogitantur, ſeniorum reſerventur examini, ut nihil quis ſuo judicio credens, illorum per omnia definitionibus aquieſcat, & quid bonum, vel malum debeat judicare, eorum traditione cognoſcat; quæ inſtructio non ſolum per veram diſcretionis viam juvenem recto tramite docebit incedere; verum etiam cunctis fraudibus, & inimici inſidiis ſervabit illæſum: nullatenus etenim decipi poterit quisque, ſi non ſuo ſed Majorum vivit exemplo, nec valebit ignorationi ejus callidus hoſtis illudere, qui univerſas cogitationes in corde naſcentes perniciosa verecundia neſcit obtegere, ſed eas maturo examine ſeniorum vel reprobat, vel admittit.

§ VII. In nullo ſic gaudet inimicus, quomodo in illo, qui non vult ſuas cogitationes manifeſtare, nec ſic extædiat aliquid Dæmonem, quomodo ſi revelentur ſtimulationes ejus, maxime formicationis. (Communiter loquuntur Patres: Ruffinus vita P. P.) Bene proinde ſanctus Antonius, ſi fieri poteſt, inquit, etiam quo paſſus ambulavit Monachus, vel quot callices aquæ in cælla bibit, ſenioribus declaret, ne in ipſis deviet. Sanctus Benedictus jubet cogitationes malas actutum Patri ſpirituali patefacere. — Novit enim prudens legislator cogitationes malignas, illico, ut patefactæ fuerunt marceſcere; attendendum inſuper in Novitiis eſt juxta informationem ſancti Baſilii, utrum defectus rotunde fateantur, & non ita facile

Ruffin. Lib. 2. Nro 177.
Pellag. Lib. 5. 12. 13. lib. vit. P.P. Cap. 11.
Ruff. S. Num. 176.
Regula. Cap 4.
S. Baſil. Reg. fuſiori 10.

facile ad quodvis objectum erubescant, maxime si de vida splendida venissent, tales instruantur diligenter, ut studeant despicere strata molliora, vestimenta, & calceamenta nobiliora, varietatem ciborum, mensam delicatiorem aliaque his similia. Omnia hæc, inquit, si vel habenas, vel procures malum ferent eventum, & nisi velociter insidias Diaboli agnoscas, brevi te ad sæculum retraherent: Novitius hoc in corde suo ponat, se omnium hominum esse despicabiliorem, & scæleratiorem, profugum, item, atque hospitem: ac peregrinum, & tantum ex misericordia susceptum a Fratribus suis senioribus. Studeat omnium esse in cunctis ultimus, ac omnium servus, (De abdicatione rerum).

S. Basil. De abdi. rer.

§ VIII. Scribere, psalere, ac etiam discere eam partem scripturæ, quæ esset necessaria ad perficiendam pietatem Novitii tenentur. Regula brevior S. Basilii 95.

§ IX. Ad labores etiam durissimos olim stringebantur Novitii; (sanctus Chrysostomus) & tamen, inquit, Chrysostomus, ita constantes erant in arrepto proposito, ut maluissent contra ferrum, ignem; bestias, & alia quæcunque persistere, quam ad priorem vitam, divitias, mundique delicias remeare.

S. Chrys. Lib. 2. ad vers. vitup. vitæ Mon. Cap. 3.

CA-

CAPUT IV.

De Obligatione Novitii reſpectu bonorum ſuorum.

§ I.

Dimittenda omnia bona temporalia Novitio ante profeſsionem eſſe, clare docet ſcriptura ſacra: Si vis, ait, perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me. Quod & factum eſt ab Apoſtolis, quorum omnium nomine ſanctus Petrus dixit. Ecce nos reliquimus omnia. Id etiam factum eſt ab omnibus ſpiritualibus teſtante ſancto Auguſtino, id fecit juvenis ille, qui renuntians mundo cum pateretur inſidias a Dæmone propter ſuas divitias, etiam veſtibus abjectis nudus cucurrit ad Monaſterium. Serapion cum præter Evangelii codicem nihil reſervaſſet, & hoc quoque vendito precium diſtribuit eſurientibus dignam memoratu promens ſententiam: etiam librum, inquit, vendidi, qui mihi jugiter obtrudebat, vende, quæ poſsides, & da pauperibus. Sæculo proinde renuntiaturis cuncta ad noviſsimum quadrantem remittenda ſunt: Hinc graviſsime peccat, qui ſibi quidpiam cum Anania reſervat, atque occultat. Et ideo quicunque renuntiant ſæculo, & volunt adhuc habere pecunias a dæmonibus lacerantur, ait ſanctus Antonius. Hinc amplius placuit Patribus vita Cœnobitica quam Anachoretica, aut ea, quam quidam in ſuis ædibus ducebant. Quia ſine peculio hi eſſe vix poterant, maxime cum laborare manibus nollent, aut nequirent.

Math. 19.

Auguſt. enar. Pſal. 43.

Ruff. 12. Vit. P. P. Nro 67.

S. Anton. Ruff. Lib. 2. vit. P. P. Nro 68.

§ II. Evangelium vult, ut qui perfectus esse desiderat, omnia relinquat, ita fecit sanctus Augustinus, Paulinus, & principio omnis Ecclesia Sanctorum, qui facultatibus venditis pretium deponebant ad pedes Apostolorum, ut pro arbitrio dividerent pauperibus. Nonnullos legere est, id propriis manibus executos fuisse, ut a sancto Paulino docemur Epistola ad Alenthium: „ Erant tamen, qui non „ ab initio conversionis suæ, sed successive distribuerant sua „ bona. Quam plurimi de suis Patrimoniis Cœnobia exstru„ xerunt, vel alia loca pia. Multi se simul, ac sua Mona„ steriis a se erectis consecrarunt. Non pauci se suaque tra„ diderunt alienis Monasteriis. Alii semet ipsos uni, sua „ Monasteria alteri obtulerunt. Aliqui etiam suis cognatis „ præsertim pauperibus idque ante professionem, ut jam „ prius dictum est."

§ III. Accipere quidpiam pro Monasteriis ab ingredientibus Novitiis, multis de causis haud esse consultum censuerunt sancti Patres. Hoc in negotio præcæteris audiendus sanctus Basilius: Si mea, inquit, sententia exquiritur, existimo offendicula a multis magis remotum iri, & ad fidei ædificationem fore utilius, si ejusmodi repudientur munera. Nam si accipiantur primum quidem contingit probris plerumque affici communitatem, deinde ex ea re illud incommodum nascitur, quod propinguo etiam eorum, qui quidpiam attulerunt, elationis detur occasio. Ad hæc confunditur is, qui nihil secum attulit, & ejusmodi pleraque. Quare operæ precium est, hujusmodi dona non acceptare. Tridentini quoque Concilii manda-

Regula brev. 304.

tum

tum eſt: ne ante profeſsionem excepto victu, & veſtitu Novitii, vel novitiæ illius temporis, quo in probatione eſt, quocunque prætextu, a Parentibus, vel propinguis, aut curatoribus ejus Monaſterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur, ne hac occaſione diſcedere nequeat, quod totam vel majorem partem ſubſtantiæ ſuæ Monaſterium poſsideat, nec facile ſi diſceſſerit, id recuperare poſsit, quin potius præcepit ſancta Synodus ſub Anathematis pœna dantibus, & recipientibus ne hoc ullo modo fiat, & ut abeuntibus ante profeſsionem reſtituantur, quæ ſua ſunt. Seſſ. 25. De regul. Cap. 16.

§ IV. Acceptare, aut dare aliquid pro ingreſſu ad vitam Monaſticam Simonia eſt, & niſi ſimoniaca labes in re ſæpe obſervata fuiſſet, tot avocatoria mandata non exſtarent; nullus pro munere accipiatur in Monaſterium, inquit, Concilium Aquisgranenſe A. D. 817. Londonienſe II. ait; exactiones certe pecuniarum pro recipiendis Monachis non exigantur. A. D. 1127.

CAPUT V.

De Monaſticæ Profeſsionis ritibus.

§ I.

Patres Veteres tam Græci quam Latini paſsim loquuntur de Profeſsione Monaſtica. Sanctus Baſilius ad virginem lapſam, ait: Memento Profeſsionis tuæ, quam

Deo profeſſa es, teſtes & homines, & Angelos habes. Sanctus Ephraim in profeſsione, Angeli Dei adſtant, ait, aúdiuntque de labiis tuis procedentia verba, vota, & juramenta: ſermone ad pietatem exercendam. Idem: Id noveris, frater, quod Angeli in hoc momento voces tuas, & pacta tua, abrenuntiationemque tnam deſcribant, & in cœlis usque ad adhorribilem illum judicii diem conſervent. Non ergo pertimeſcis? non exhorreſceris? in die judicii proferent Angeli tuum Chirographum, & verba oris tui coram formidabili tribunali. Tunc auditurus es, ex ore tuo te ju-

Serm. de compunct. dicio. Sanctus Baſilius vult, ut Novitius ante profeſsio-

Reg. fuſior. 15. nem faciat exercitia ſpiritualia poſtulans Dei auxilium ad debite deliberandum de illo negotio, de quo deinceps regredi nefas. Hæc Profeſsio fieri debet manifeſte, ex

S. Baſil. Epiſt. 2. ad Amphi. præſcripto ſancti Baſilii; ut transgreſſor puniri poſsit. Sanctus Ambroſius eadem voce: ly profeſsio; utens, ait, Sororem ſuam virginitatis profeſsionem feciſſe, ad quam

S. Ambr. Libro 3. Virg. plures homines accuriſſe ſcribit, quam ad Chriſtum ad Eremum, quando quatuor millia hominum aderant exceptis parvulis, & fœminis. Profeſsio itaque Monaſtica non eſt, ut putant aliqui novum commentum.

§ II. Hæc profeſsio facienda eſt, Præpoſito. In

Con. Late Part. 27. Cap. 5. appendice enim Concilii Lateranſis, ſub Alexandro tertio dicitur majori, priori profeſsionem omnes Laici in manu ejus, promittantque ſe caſte obedienter, & in paupertate victuros. Hinc Major prior benedicit novum Chriſti militem, id eſt certas preces præſcriptasque ſolemnes Cæremonias peragit ſuper eum.

§ III.

§ III. Sunt, qui dicunt, benedictionem illam, ac cæremonias in profeſsione peragi ſolitas, nec eſſe antiquas, neque neceſſarias. Sanctus enim Paulus Eremita, ajunt, Monachus fuit, nec tamen ab ullo benedictionem accepit, ſicut nec ſanctus Antonius, nec alii plures per Ægyptum. Verum eſt. Nulla exterior cæremonia ſtricte loquendo conſtituit Monachum, ſed mundi contemptus, & plena Dei dilectio, quod olim nullæ benedictiones, & cæremoniæ ad ineundum Monachismum adhibitæ ſint, id non eſt credibile, Ægyptii Monachi ab Eſſenis deſcenderunt, qui abſoluto Novitiatu, profeſsionem inter terribilia juramenta palam facere debebant. Peracto itaque Novitiatu ait Porphirius: Priusquam novus Dei cultor ad communem menſam admittatur, per profeſsionem debet ſe conſtringere juramentis terribilibus: Eſſenus ſe ſequentem Regulam ſervaturum. Et primo ſe Deum culturum, erga homines fore juſtum; nulli de induſtria Nociturum, nec alterius juſſu: odio habiturum iniquos: patienter cum juſtis injuriam portaturum: fidem cunctis ſervaturum, maxime ſuperioribus: neque enim absque voluntate Dei, quemquam ad Imperium pervenire. Quodſi vero contingat, ut ipſe præſit aliis, tunc nullo modo ſe abuſurum potentia ad injurias aliorum, non veſte, non cultu ullo ſubjectos ſuperaturum. Inſuper puras ſe manus a furto, puram mentem ab iniquo ſervaturum, nihil celaturum ſocios, nihil revelaturum extraneis, & ſi mors impendeat ſubeunda. Jurant quoque dogmata ſua ſe poſteris, ut acceperunt, tradituros; latrocinia fugituros, inſtitutique

Porphir. Lib. 4. de Abſti.

ſui libros cum nominibus Angelorum pari diligentia conſervaturos. Et hæc ſunt Eſsenorum juramenta, quæ, ſi quis transgrediatur, ejectus a conſortio male perire debebat; & enim illigatus juramentis inſtituti eſcis aliorum uti nequibat.

§ IV. Ab his ergo Eſsenis Ægyptiaci deſcenderunt Monachi. Illis ipſis temporibus Monachismus affluebat in Græciam, & Monachi ſolemniter conſecrabantur, uti ait ſanctus Dionyſius Areopagita, propter ſacram converſationem, & Inſtitutum Monachorum conceſsit eis ſacra legislatio conſumativam gratiam, & quadam eos dignata eſt conſecratio ab invocatione; non tamen Hierarchica, ſeu Sacramentali, qua inaugurantur Clerici.

S.Dionyſ. Cap. 6. de Eccleſ. Hierarch.

Forma hujus conſecrativæ inſtitutionis fuit iſta: Sacerdos ſtabat in conſpectu altaris divini Monaſticam benedictionem pſalens: conſumandus autem retro ipſum, quo facto Sacerdos primo interrogat eum, utrum abrenunciet omnibus mundi vanitatibus, & a Deo ſeparantibus, non modo converſationibus, verum etiam phantaſiis. Deinde perfectiſsimam ei vitam narrat, teſtimonium ei perhibens, quia oportet eum perfectius vivere, quam cæteri fideles Laici, qui inter Clerum, & Chathegumenos medii in Eccleſia ſtant. Hæc omnia promittente Monacho, cruciformi ſimilitudine ſignans eum Sacerdos, tondet, trinamque divinæ beatitudinis invocans ſubſtantiam, & veſtem omnem exuens alteram induit, & cum aliis Sacerdotibus, quicunque adſunt ſalutans eum, ſocium perficit divinorum Myſteriorum ſanctiſsimæ Eucha-

charistiæ communione. Hic mos post sanctum Dionysium in Ecclesia mansit constanter, manebitque, quamvis in nonnullis variatus.

§ V. Sozomenus, de viro, & fœmina, sub Constantio Imperatore, loquens, ait eos Virginitatem Deo promisisse ex norma Ecclesiastica. Apud Græcos Professio dicitur homologia, sed cur? ab actu publico. Nam homogitas eos dicimus in Ecclesia, qui fidei confessionem palam coram tyrannis ediderunt. Metaphrastes ait Stephanum Abbatem solitas fudisse preces super Joannicium „in vita Joannicii" sacrasque recitasse Orationes, eumque induisse veste Monastica. Sanctus Benedictus hanc professionis pro suis præscribit formulam: Suscipiatur, inquit, in Oratorium promittens stabilitatem, conversionem morum, & obedientiam coram omnibus subscriptura, vel saltem sub signo certo, si alius pro ipso scribat, dicat ter: Suscipe me Domine secundum eloquium &c.

Sozomen. lib. 3. Inst. Cap. 13.

S. Bened. Reg. Cap. 56.

Sanctus Pachomius nullum ad professionem admisit, nisi sub collecta eum fratribus præsentasset. Sanctus Antonius sanctum Paulum simplicem sub hac forma Monachum effecit: In nomine Domini Monachus factus es: Itaque semper interveniebat aliqua benedictio, & solemnitas, qualiscunque tandem fuerit. Nam omnino necessarium est, ut religiosus in professione se Deo consecret. Hinc oramus ter, suscipe me Domine &c. Donum nos obtulimus Deo, inquit, ad suos sanctus Ephraim.

Reg. S. Pachomi. Nro 26.

Pallad. Vit. S. Pauli.

S. Ephra. adhort. 1. serm. ad pietat.

CA-

CAPUT VI.

De tribus votis Monaſticis.

§ I.

Tria vota in ſe ſtatus Monaſticus complectitur: Obedientiam, Paupertatem, & Caſtitatem. Sine his tribus votis ſtatus religioſus nullus eſt. Monachismus enim ad abſolutiſsimam vitæ perfectionem hominem ducere debet, quam conſequi non eſt poſsibile, niſi prius removeantur obſtacula, quae ſunt: Spinæ divitiarum; carnis illecebræ, fallacia, amor, & infirmitas propriæ voluntatis, quæ nihil niſi inperfectum ſapiunt. Contraria igitur contrariis curanda ſunt, & opponenda eſt opibus paupertas voluntaria, carnalibus deſideriis caſtitas, & propriæ voluntati ſui abnegatio per ſanctam obedientiam, ſic itur ad Cœlum. Hac via primum ibant Apoſtoli, qui relictis omnibus, obedientiæ Chriſti ſe ſubmiſerunt, ſic namque dicitur: Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, & Matrem, & uxorem &c. non poteſt eſſe meus diſcipulus; Math. v. 19. 27. & alibi ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus Te.

§ II. Hac demum via omnes inceſſerunt veteres Monachi, quorum erat obedire majoribus, colere caſtimoniam, atque in communi vitam ducere in paupertate. Præcæteris ſurrexit ſanctus Pachomius magnus communis vitæ Dux, ac multorum Monaſteriorum, & Monachorum Pater, cujus monita una cum vita ſatis annuntiant, diſcipulos ejus præatta-

attacta tria vota diligenter ſervaſſe. Idem feciſſe Antonii, & Hilarionis diſcipulos, ipſorum, vitæ demonſtrant. Sanctus Athanaſius in regulis, quas pro monialibus compoſuit: Væ, inquit, Virgini, quæ nulli regulæ ſubeſt; eſt enim velut navis carens gubernatore. Beata Virgo, quæ ſub obedientiæ regula eſt; Docet has, ut ſint pudicæ, & caſtæ in moribus, pauperes in veſtibus, obedientes ſuis moribus. Sanctus Baſilius de abdicatione rerum ait: „ Aures habe ad obediendum patulas, manusque promptas ad exequenda mandata. Et alibi: Obedientiam, „ ait, eſſe caput vitæ Monaſticæ. Idem in Aſceticis „ dicit: Pauper! tibi vivatur vita, liber ſis, & ſolutus „ omni cura ſæculari, non te ſtimulet fœminæ cupiditas, „ non cura liberorum; hæc enim impoſsibile eſt conſiſtere, cum hac noſtra militia.

Tom. 4. Bibl. P.P.

Conſtit. Cap. 19.

CAPUT VII.

De Obedientia.

§ I.

Prima omnium, ac maxima in Monacho virtus eſt Obedientia: Hæc eſt communis Patrum ſententia. Obedientia, inquit, ſanctus Auguſtinus, Mater quodammodo eſt, omniumque cuſtos virtutum. Idem ait: „ Obedientia „ maxima eſt virtus, &, ut ſic dixerim, omnium origo, „ materque virtutum. Dicit Caſsianus: Obedientia inter cæte-

S.Auguſt. Libro 14. Civ. Cap. 12. Lib. 1. contra adver. leg. Cap. 14. Caſsian. L. 4. Inſtit. C. 30.

„ cæteras virtutes primatum tenet; quia juxta ſanctum
S. Gregorius Libro ult. Moral. Cap. 12. „ Gregorium ſola illa eſt, quæ cæteras menti inſerit,
„ inſertasque cuſtodit. Bene ergo Epiſcopus ille ad
„ ſanctum Abraham ſolitarium: Ecce, inquit, totum
„ mundum reliquiſti, & quæ in eo ſunt, & vitam cruci-
„ fixam amplexus es, attamen, cum hæc univerſa com-
Vita S. Ambroſii Cap. 4. „ pleveris, agnoſce te obedientiam, quæ cunctis virtutibus
„ eminet, non habere. Cujusdam ſenioris ſententiam au-
Pellag. Libro 14. fin. „ ream de obedientia deſcripſit Pelagius: Obedientia,
„ ait, ſalus eſt omnium fidelium: Obedientia Genitrix eſt
„ omnium virtutum: Obedientia Regni Cœlorum inven-
„ trix eſt. Obedientia Cœlos aperiens, & homines de
„ terra elevans eſt. Obedientia cohabitatrix Angelorum
„ eſt. Obedientia ſanctorum omnium cibus eſt: Ex hac
„ enim ablactati ſunt, & per hanc ad perfectionem vene-
„ runt. Et quidem per compedium.

§ II. Sanctus Dorotheus de diſcipulo ſuo Doſitheo memorat, quod in una ſe obedientia, & abrenuntiatione voluntatis potiſsimum exercuerit, & conſumatus in brevi
Doctrina 4. a ſeniore viſus ſit inter catervas Sanctorum, bene igitur ſanctus Antonius: Si quis, inquit, cupit ad perfectionem velociter pervenire, non ſibi ipſi fiat Magiſter, nec propriis voluntatibus obediat, etiam ſi rectum eſſe videatur, quod velit, ſed ſecundum mandatum Salvatoris ante omnia abneget, ſe ipſum, & renuntiet propriis volunta-
Ruffin. Libro 1. vita P. P. Cap. 31. tibus: quia & Salvator ipſe dixit: Ego veni, non ut faciam voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me. Velox, ac facile iter ad perfectionem eſt obedientia dormiendo

con-

confectum. Qui totum ſe tradit in obedientiam Patrum ſemper in pace, & ſine cura vivit, ut contingit beato Doſitheo. Quid plura? obedientia reddit hominem immortalem, quemadmodum Acacius ſolus de ſe interrogatus, de ſepulchro reſpondit: & fieri ne poteſt, Pater, ut moriatur homo deditus obedientiæ? „ Sine conſilio nihil facias." Durus eſt hic ſermo, gravisque hæc diſciplina multis videtur, ut homo ita ſemper pendeat de ore alterius, cæterum tamen Deum timentibus dulcis, ac ſecura invenitur, ſi ex integro, & non ex parte conſervetur, tunc enim conſcientia ſecura, ac tuta ſit alterius directione ducta.

Doroth. doctrin. 4.

Climac. 9. Cap. 4.

Eccleſ. 32 v. 24.

§ III. Eapropter electo uno in ſuperiorem ceſſare debent de cætero omnes ſingulares voluntates, ait ſanctus Baſilius, voluntatique ejus, qui reliquis præeſt, parere tenentur, juxta verbum Apoſtoli: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Et qui reſiſtunt, judicium ſibi aquirunt. Ad vitæ autem perfectionem tam accuratam, Doctor hic ſanctus requirit obedientiam, ut nec licet refragari voluntati ſuperiorum. Et quid dico? refragari. Perfectus enim obediens absque nutu majorum nec movet ſe, ſimilis inſtrumento mechanico. Furtum eſt, ac ſacrilegium, ſi quid inſcio Magiſtro fiat, etſi bonum videatur, ait ſanctus Baſilius „ de abdicatione „ mundi, rerumque. Id quod & ſanctus Benedictus con„ firmat, dicens: Tribuendum eſt præſumptioni, vanæque „ gloriæ, non mercedi, ſi Monachus absque Abbatis præ„ ſcitu, quid boni faciat." Quicunque interrogaverit ſemper,

S. Baſil. Serm. 2. Inſtit. Monaſtica.

Rom. 13.

Regul. Cap. 49.

per, nunquam errabit, quia ſi alterius erraverit reſponſio, fides credentis, & labor obedientis nunquam errabunt, neque mercede interrogantis carebunt: Nam ſi per ſe aliquid diſcuſſerit, qui debuit interrogare, in hoc ipſo arguitur erraſſe, quod judicare præſumpſit, qui debuit judicari. Etſi rectum fuerit, parvum illi reputabitur, dum per hoc a recto declinavit: quia nihil audet per ſe judicare, cujus officium eſt tantum obedire.

Beatus Columban. 1. parte Reg. C. 14.

§ IV. Perfecta ergo, & vera obedientia juxta doctrinam ſancti Baſilii. In hoc apparet, quando quis ad ſuperioris nutum non modo fugiat inhoneſta, verum etiam laudabilia omittat: tametſi enim temperantia, & corporis mortificatio ſit utilis, ſi tamen eam exerceat quis ex proprio arbitrio, tanti non erit, quanti eſt obedientiæ merces. In obedientia itaque cœcos non eſſe oportet.

S. Baſil. Inſtit. Monaſt. ſerm. 2.

§ V. Reperiuntur nonnulli ex ſubordinatis, qui dum quidpiam a ſuperiore præcipitur, intendunt oculos non in præceptum, ſed in præcipientem, hominem ſæpe imperfectum, & dicunt: Hic autem quid? ſed audiant, quid ſequitur: quid ad te: tu me ſequere. Alii ſubmurmurant, quaſi ſuperiores alligant onera gravia aliis, quæ ipſi nec digito velint attingere, quibus idem Dominus reſpondit: Super Cathedram Moyſis ſederunt ſcribæ, & Phariſæi, omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, ſervate, & facite; ſecundum opera vero illorum nolite facere. Alii vero cauſas præceptorum examinant, nec facile parent, niſi pateant juſtæ. At vera obedientia nec

Joann. 21.

Mathei 23.

præpoſitorum intentionem, nec præcepta diſcernit: quia qui omne vitæ ſuæ judicium majori ſubdidit, in hoc ſolo gaudet, ſi, quod ſibi præcipitur, operatur; neſcit enim judicare, quisquis perfecte didicerit obedire, ait ſanctus Gregorius. S. Greg. in Cap. 4. Libro 1. Reg. 1. 2.

§. VI. Verus obediens non reſpicit vitia præcipientis, non perſonam, non cauſas, ſed ſolum, ut ſatisfaciat Deo, qui per miniſtros ſuos loquitur, cui etiam principaliter obedimus: Obedientia, inquit ſanctus Benedictus, (in regula) quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur, qui ſolus obedientem coronat, ſive ergo Deus, ſive homo vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari obſequendum eſt cura. Quid enim intereſt, utrum per ſe, an per ſuos Miniſtros, ſive homines, ſive Angelos hominibus notum reddat ſuum placitum Deus? unum & idem eſt; hinc de Monachis Orientalibus Caſsianus ait: Univerſa præcepta, quæ eis ab Abbate fuerint imperata complere feſtinant tanquam, ſi ex Deo ſint cœlitus edita. Caſsian. Lib. 4. Inſt. Cap. 10.

§ VII. Refert Climacus, de quodam Laurentio Senecione Monacho: Cum, inquit, ad menſam conſediſſemus, ſummus ille Magiſter (Abbatem intelligit); inclinat ſuum ſanctum os ad aurem meam. Vis, ait, tibi oſtendam in profunda canicie divinam prudentiam? & me id exorante advocat ex proxima menſa quemdam Laurentium nomine, qui quadraginta, & octo annos in Monaſterio degerat, qui cum veniſſet atque Abbati genibus flexis adſtaret, ab illo quidem benedicitur, verum ſurgenti penitus nihil dixit: ſicque ante menſam ſine Climac. grad. 4.

cibo ftare permifit, erat autem tunc prandii initium. Itaque ultra horum immobilis ftetit adeo, ut ipfe quoque erubefcerem, neque enim in ipfius faciem præverecundia intueri potui. Erat hic canus totus, octogefimumque jam agebat annum, manfit autem fine refponfo ullo usque ad finem refectionis, a qua cum furgeremus, mittitur a fancto illo, ut diceret Pfalmi 39. initium, qui eft: „ Ex„ pectans expectavi Dominum, & intendit mihi, & exau„ divit preces meas &c." Hic fenex poftmodum rogatus a me, quid interea cogitaffet? Chrifti, inquit, imaginem paftori impofui: neque enim ab illo hoc præceptum exiffe, fed a Deo exiftimavi. Quare non coram menfa hominum, fed coram altari divino adftare me putans orabam, nullamque penitus malignam cogitationem adverfus paftorem admittebam.

Hæc eft obedientia cœca, per quam fine disquifitione parendum eft, ut ait fanctus Bafilius. Qua etiam fecure nos credere debemus in Domino iis, qui curam noftri fufceperunt, etiamfi quædam, ut Climacus docet, imperent, quæ contraria videantur.

S. Bafil. Conft. Cap. 23.

§ VIII. Obedientia debet effe prompta, effe fine mora, non trepide, non tarde, non tepide, ait fanctus Benedictus. Verus obediens mandatum non procraftinat, fed parat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, & fic fe totum intrafse colligit, ut mandatum peragat imperantis. Marcus Monachus ad vocem Abbatis imperfectam literam reliquit, tam promptus ad obedientiam fuit; Cellarius quidam vocatus a fuo fu-

S. Bened. Reg. C. 5.

pe-

periore relicto dolio apperto cucurrit. Alter relicto libro apperto cito ad Chorum perexit. Hoc promptum obſequium utriusque approbaverat Deus, dolium enim non effluxit appertum, neque liber a pluvia madefactus rebus cæteris madentibus. Sancti Simeonis ſpiritum, & inuſitatum vivendi modum Epiſcopi explorarunt per promptitudinem obedientiæ: ſi parum cunctatus fuiſſet, de columna, & propoſito eum deturbaſſent: Nunc vero quia juſſus deſcendere, alacriter obedire voluit, approbata eſt ejus intentio juſſusque perſeverare. Euarg. Lib. 1. Inſt. Eccleſ. C. 13.

§ IX. Præter hæc omnia obedientia debet eſſe fortis, & conſtans: Oportet imprimis, ait ſanctus Baſilius, ut is, qui ſe ad vitæ hujus rationem contulit, ſtabili, firma, immobilique voluntatis conſtantia ſit, judicioque tali, ut a malignis ſpiritibus, neque concuti, neque loco pelli poſsit. Deinde animi firmitate tanta, ut ad mortem usque conſtantiam Martyrum exhibeat, tum divinis præceptis retinendis, tum obedientia erga Magiſtros ſuos conſervanda, hoc enim totius vitæ, & Inſtituti eſt caput. Conſt. Cap. 19.

§ X. Apud antiquos Monachos non erat quid novi ad exemplum Chriſti usque ad mortem obedire, quod præſtandum probat ſanctus Baſilius ab exemplo Apoſtolorum, qui prompte ad pericula, forum, tribunalia, contumelias, lapidationes, ignominias, cruces, & ad varias mortes, inclinata cervice obedientiæ tanta alacritate proceſſerunt, ut etiam gauderent, iſta pro Chriſto pati. Regul. brev. 103. 116. 119. 303. Conſtit. Cap. 19. 23.

§. XI. Terminus obedientiæ eſt, usque ad mortem. Nihil proinde recuſandum eſt, obedientibus veris Chriſti

diſci-

diſcipulis, quamvis durum & arduum ſit, ſed cum fervore & lætitia arripiendum. Quod ſi talis non fuerit
Math. 10. v. 38. obedientia, non erit acceptabilis Deo, qui ait: Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Et propter hanc perfectiſsimam obedientiam multi usque ad periculum vitæ decertarunt. Quidam juſſus ab Abbate, injecit ſe ad ardentem clibanum, alter ad Crocodilos acceſsit. Tertius adducere juſſus leenam intrepide perexit. Alii impoſsibilia aggreſsi rigarunt arida virgulta. Sic Patres probarunt olim ſuos diſcipulos, ut etiam extrema tentarent.

CAPUT VIII.

De peccato Inobedientiæ.

§ I.

S. Baſil. Reg. brev. 119. Eſſe inobedientem, ait ſanctus Baſilius, multorum magnorum malorum radix eſt. Reſiſtere enim, idem ait: Et detractare ſuperioris juſſa infirmæ fidei eſt, ambiguæ ſpei, ſuperbiæ, & morum inſolentiæ ſignum. Neque enim quis inobediens eſt, qui non prius deſpexerit præcipientem, aut qui in fide, & ſpe non vacillet, quantumvis gravia ſint, quæ jubentur. Qui credit Dei promiſsis, ſpemque firmam in eis reponit, etiamſi præcepta ardua ſint, & difficilia, nunquam in ipſis obſervandis torpebit, cum ſciat non eſſe condignas paſsiones hujus tem-

temporis ad futurum, quæ revelabitur, gloriam. Et cui persuasum est eum, qui sese humilitat, exaltatum iri, majorem alacritatem quam, quæ a præcipiente expectatum, ostendit, quippe, qui illud non ignorat, quod momentanea afflictionis levitas, mire supra modum æternum pondus pariat. Ita sanctus Basilius dicit.

S. Basil. Reg. fusiori 28. prope finem.

§ II. Erga immorigerum, & inobedientem hoc modo procedendum est, juxta doctrinam sancti Basilii in priori regula contentam. Primum tamquam membro infirmo compatiendum, & lenibus adhortationibus procedendum, tandem 2-dum in contumacia persistentem acrius coram toto fratrum cœtu coarguere oportebit. 3-dum: Sæpius admonitum non tamen emendatum, ut membrum corruptum, & penitus inutile medicorum exemplo a communi corpore resecare est necesse, ne cæteros corrumpere ultro pergat.

§ III. Sanctus Pachomius ita castigat inobedientes: Si quis, inquit, lectionem, vel aliud obedientiæ prætulerit, in Synaxi prostratus in terra ad finem manebit, quoad eum Abbas jusserit surgere.

§ IV. Sunt nonnulli, qui mandata exequuntur quidem, sed tamen submurmurant. At verus obediens, ait sanctus Ephraim, Patrem non despicit, nihil carpit, non murmurat; sunt etiam, qui inobedientiam suam excusationibus variis palliant, sed Deus non irridetur. Simplex obedientia ne minimam quidem admittit excusationem. Ideo Columbanus quinquaginta percussionibus castigari jussit eum, qui excusationem protulit cum simpli-

S. Ephra. Serm. de obed.

S. Columbanus p. 2. Reg. v. 8. citate, & non statim veniam petiit: mea culpa pœnitet me (S. Columbanus). Ipsa etiam bona opera Monachi ex propria voluntate facta disciplibent Deo. Quidquid enim sine ipso superiore efficitur, furtum est, & Sacrilegium, quod mortem infert, non utilitatem: tametsi tibi videtur esse bonum, ait sanctus Basilius.

S. Basil. Serm. de renunt. sæculi.

CAPUT IX.

De paupertate Monastica.

§ I.

Paupertatem Monasticam sanctus Basilius vocat nutricem veræ Philosophiæ, suamque contubernalem, & cohabitricem dicit esse paupertatem hanc scribens ex Monastica solitudine ad Olympium; (Epistola juxta ordinem antiquum 169. juxta novum 4-ta) hanc paupertatem Abbas Hyperichius dixit esse Monachi Thesaurum. Ipse Christus primam Beatitudinem pauperibus assignavit. Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et hanc sanctam paupertatem tamquam infallibile ad perfectionem medium Apostoli exosculati sunt, ut Eusebius loquitur, hancque omnes veri Monachi coluerunt, sic, ut Cassianus dicat, multa millia Monachorum sunt, qui post abrenuntiationem sæculi nec denarium habent, nec habere voluerunt, etsi in abundantia oblati fuerint. Quidam Monachus cum centum numismata ei po-

Pellag. Lib. 6. 11. 12.

Math. 5.

Cassian. Col. 5. Cap. 8.

porigerentur a fancto Joanne Eleemofinario dignum memoria verbum ad Patriarcham locutus eft, dicens: Ego hoc non poftulo Domine: Monachus enim fi fidem habet, horum non indiget; fi autem horum eget, fidem non habet. Juniarius quidam Monachus cuidam nobili Rufsio multas fibi pecunias offerenti dixit, non eft juftum; ut qui fua propter Deum fponte reliquit; ditefcat alienis. Denique fanctus Apoftolus Thadæus dum ei Abagarus Rex Edefsenus multum fignati, rudisque auri titulo gratitudinis obtulit, dixerat: Si noftra reliquimus aliena quomodo accipiemus.

Leont. Vit. fanct. Joan. Eleemof.

Bernard. Epifcopo London. in vita.

§ II. Vir quidam admodum dives, referente Pellagio: Venerat in Scithi deferens fecum plurimum auri, ut Monachis indigentibus per Præsbyterum diftribueretur, quo recufante juffus ponere omne aurum ipfe dives ad fores Ecclefiæ, unde quisque Monachus acciperet, quantum vellet. Mirum fuit, cum omnes Ecclefiam ingrederentur, & audirent preconem; nullus tamen ex omnibus fuit, qui vel obulum acciperet, imo expofitam pecuniam multi nec refpexerant quidem. Tantus contemptus erat pecuniarum apud veteres veros Monachos, & immittatores Chrifti. Simile quid de fancto Amato narrat Surius: cui cum loci Epifcopus in fuftentationem non raro præberet pecuniam, eam vir bonus femper rejecit, quam demum Epifcopus clam altari, in quo Eremita hic facrificare folebat, impofitam reliquit, hanc ille mane inventam illico in profundam vallem abjecit.

Eufeb. Lib. 1. Hift. Cap. ult. & libro 2. Cap. 1. Pellag. Lib. 6. Nro 19.

§ III. Monachus nihil proprii habere poteſt, nihilque poſsidere. Oportet autem Aſcetam, ab omni privata rerum terrenarum poſſeſsione liberum eſſe, ait ſanctus Baſilius. Et enim niſi hoc faciat, primum quidem exactam, ac ſinceram ſocietatem privata poſſeſsione corrumpit, deinde vero oſtendit ſe eſſe valde incrudulum, ut qui diffidat Deo, quaſi eos, qui in nomine ipſius fuerint congregati, nutriturus non ſit, neque audierit Davidem Prophetam dicentem: Junior fui, & enim ſenui, & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus querens panem. Si enim ubi duo, aut tres in nomine Chriſti congregati ſunt, ibi in medio ipſorum eſt, multo magis ibi erit, ubi longe major, ac frequentior extiterit hominum cœtus. Aut igitur nihil deerit neceſſariorum, ſi modo affuerit nobis Chriſtus, cum Israelitis in deſerto nihil defuerit utilium, aut etiam quidpiam defuerit, adprobandos nos, præſtabilius eſt nos indigere & eſſe cum Chriſto, quam citra illius ſocietatem omnes mundi divitias poſsidere. Proinde perſpicuum eſt, qui talis eſt, eum de reſecanda, ac morti tradenda anima ſua cogitare, paucisque obolis ſalutem ſuam vendere, & alterum Judam effici, ut qui a furto exoriatur: furtum eſt enim privata profeſsio, & definit in proditionem, eum, & ipſe veritatis doctrinam prodat, perinde, ut ille Dominum prodidit. Quando enim vitæ noſtræ inſtitutum eſt, neque ſeparari ab illo cœtu, cui fuimus adjuncti, neque ullum rem privatam comparare, neque omnino quidpiam moliri, quod clandeſtinum ſit, aut ejusmodi, quod

S. Baſil. Conſtit. Monaſt. 34.

S. David. Pſalm. 36. v. 25.

ad

ad fratrum perniciem malo exemplo fit iis, qui ſalvi fieri cupiunt, tum ſi quis timore Dei, ſtatutisque ſancti Spiritus contemptis, primum quidem ſubreptionem (ſubreptio enim eſt qualitercunque, & undecunque comparata privata poſſeſsio). Deinde vero defectionem etiam ac ſeceſſum cogitaverit, quomodo is non prodidit veritatis doctrinam, quomodo non factus eſt alter Judas, cum quantum in ſe fuit, veritatem prodiderit. Cavendum eſt igitur omni modo, ne quidquam privatim poſsideamus, præter ea, quæ ſimul in communi ſuppeditantur omnibus.

§ IV. Nihil dicatur igitur meum, nihil tuum, nihil proprium; ſed ſint nobis omnia communia. Meum, & tuum dici vetat ſcriptura ſacra, ait ſanctus Baſilius. S. Baſil. Reg. fuſiori 32. Erat enim, inquit, omnium credentium cor unum, & anima una; nec quisquam eorum, quæ poſsidebat aliquid ſuum eſſe dicebat. Etes. 4. 32. Quamobrem cum Monachus omnem proprietatem abnegare debet, nec nummum, tamquam proprium retinere poterit. Ingenioſe ſanctus Baſilius Syncletico ex Romano Senatore Monacho effecto dixit: Et Senatorem Syncleticum pediditi, & Monachum non feciſti. Ex priſtinis enim paucula ſibi reſervaverat. Caſsian. 2. 7. Iſtit. Cap. 19. Caſsianus paupertatis acerrimus vindex nec obolum concedit Monacho eo, quod impoſsibile ſit victum in exigua ſtipe non majoris deſiderii incendio conflagrari. Id ipſum ſanctus quoque Ephraim ſuos Syros diſcipulos docuit. Hinc ſi quis olim rem leviſsimi precii perdidiſſet, vel deſtruxiſſet, tamquam votifragus gravis-

fime puniebatur. Cuidam fratri culinam adminiftranti interlavandum tria grana lentium deciderant, & ab Abbate tamquam interverfor, & facri peculii neglector ab oratione fufpenfus eft: Nec aliter remifsionem confequi potuit, nifi peracta publica pœnitentia; vafa, & fupelectilia Monafterii tamquam facro fancta tractabant, utpote non folum difpenfatori, fed etiam Deo, pro iis rationem redditurí. Imo omnem etiam fubftantiam Monafterii habendam effe, ut altaris vafa facra decernit fanctus Benedictus.

§ V. Monachus nihil poteft dare alteri etiam valde egenti, juxta decretum fancti Bafilii: Non calceum, non veftitum, etiam attritum, nec quidem panem efurienti: dare, ait, aut accipere etiam fecundum mandatum, non eft cujuslibet, fed ejus, cui delatum eft munus difpenfandi, proinde five vetus, five novum fuerit veftimentum, vel calceus, hic habita ratione temporis, ejusque, &
S. Bafil. dabit, & accipiet. Item, cum Dominus pronuntiaverit:
Reg. brev. 87. Non effe bonum fumere panem filiorum, & projicere ca-
Math. 15. 26. 27. nibus. Et tamen illud etiam approbaverit: Nam, & Catelli edunt de menfa Dominorum fuorum, cui munus difpenfandi fuit afsignatum, is examine præmiffo illud impleat, quisquis autem id facit præter hujus fententiam, increpatur valuti difciplinæ corruptor, donec fuum
1. Cor. 7. locum fervare didicerit, cum Apoftolus dicat: Unusquis-
24. Regul. brev. 100. que in quo vocatus eft, Fratres, in hoc permaneat.

§ VI. Denique Monachus voto paupertatis ligatus, nec exiguam rem tamquam fuam etiam in fola voluntate ha-

habere poteſt; quid enim proderit, ait Caſsianus, pecuniam non habere, ſi voluntas in nobis erit poſsidendi? Ad nutum omnia quoque relinquere debet, nihil poteſt alienare, nihil accipere, nihil expendere, nihil abſcondere. In libris præterea, veſtibus, vaſis, ſuppellectili eam ſervabit mundiciam, curam, ac diligentiam, ac ſi ſacri altaris paramenta ſint. In omni demum re cunctam abſcindet, ſuperfluitatem: Id ſi fecerit, vivet.

CAPUT X.

De Vitio Proprietatis.

§ I.

Vitium proprietatis variis excuſationibus palliare ſolent transgreſſores paupertatis Monachi: Non dantur, inquiunt, ſufficientia. Si contigerit corporis infirmitas, quis dabit neceſſaria? Cura ſuperiorum erga ægrotantes valde parva, reditus Monaſterii exigui; ſi proprium aliquid non fuerit, quo cura corpori valeat adhiberi, moriendum eſt; ipſum etiam veſtimentum non ſufficit, quod præbetur, niſi procuravero mihi, unde aliud aquiram? Hi proprietatis prætextus jam Caſsiani temporibus a transgreſſoribus proferebantur. Caſsian. Lib. 7. Inſt. Cap. 7.

§ II. Proprietas ſubtile malum adeo, ut, ii, qui in omnia vitia Dominium tenuerunt, huic tamen vitio ob-

viare

S. Greg. Homil. 8. inEcclesia. viare satis haud potuerint, teste Gregorio Nissseno. Oritur illud ex torpidæ mentis ignavia, dicente Cassiano: Cassian. Lib.7.Inst. Cap. 1. & ex amore in Deum tepido. Sanctus Basilius addit etiam diffidentiam erga Deum, quasi in nomine suo congregatos non velit enutrire. S. Benedictus appellat nequissimum Constit. Monast. Cap. ult. vitium: in veteri testamento a Giezi, in novo a Juda S. Bened. Regula Cap. 33. proditore, & Anania sumpsit initium. Quorum pœna Duces Monachorum perterriti id omni conatu nisi sunt expellere pœnis in reos gravissimis constitutis.

§ III. Sanctus Pachomius statuit Sacrilegium eum Pachom. Regul. committere, qui aliquid in propriam vertit quietem, talemque perire, unde sæpius præcipit, ne quis ad cællam aliquid deferat, ibique abscondat; sanctus Augustinus furti condemnat, qui aliquid cellaverit. Sanctus Ba- S. Basil. Constit. 34. silius Judæ proprietarium comparat, „ alias præcipit, ut „ possidens aliquid, vel intra, vel extra Monasterium, „ cæterorum privetur consortio" pœna 13. auferens, vel occultans, permutans, dans, aut accipiens aliquid, careat Pœna 25, & 49. benedictione, & a cæteris separetur.

§ IV. Strictius jus Ecclesiasticum adversus proprietarios decrevit; Prohibemus, inquit, districte in virtute obedientiæ sub obtestatione Divini judicii, ne quis Monachorum propium aliquomodo possideat, sed si quis aliquid habet proprii, totum in continenti resignet, si vero post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione prævia de Monasterio expellatur, nec recipiatur ulterius, nisi pœniteat secundum Monasticam disciplinam. Quodsi proprietas apud quemquam inventa fuerit

in morte, ipſa cum eo in ſignum perditionis extra Monaſterium in ſterquilinio ſubterretur, ſecundum quod beatus Gregorius narrat in dialogo ſe feciſſe. Unde ſi quidquam alicui fuerit ſpecialiter deſtinatum, non præſumat illud accipere; ſed Abbati vel Priori, vel Cellario aſsignetur (C. cum ad Monaſt. de ſtatu Monach).

§ V. Dura admodum Juris Canonici contra proprietarios lata cenſura hæc. Aſt non mirum, ſi quidem malorum omnium radix ſit cupiditas. Hic Canon, atque Cen- Timoth.
ſura antiquitus etiam obſervata eſt. Quid Nitriæ geſtum 6. v. 10.
ſit, inquit ſanctus Hieronymus. Quidam ex fratribus par- S.Hieron.
tior magis, quam avarior, & neſciens triginta argenteis Epiſt. 22. referemus.
Dominum venditum, centum ſolidos, quos lina texendo aquiſiverat moriens dereliquit; Initum eſt inter Monachos conſilium (quinque vero millia in eodem loco habitabant) quid facto opus eſſet? alii pauperibus diſtribuendos eſſe dicebant, alii dandos Eccleſiæ, nonnulli Parentibus remittendos. Macarius vero, Pambo, & Iſidorus, & cæteri, quos Patres vocant, ſancto in iis loquente ſpiritu decreverunt infodiendos eſſe cum eo dicentes: Pecunia tua tecum ſit in perditionem. Lamentabilis erat ſepultura hæc, ut ingens cunctos per totam Ægyptum timor invaſerit. Cum alio quoque ſimiliter factum eſt propter tres nummos poſt mortem penes ipſum repertos. Denique Concilium in Anglia In vita
A. D. 1075. celebratum decrevit: pro proprietariis, in- S.Leofridi Cap. 23.
quit, in morte niſi egerint pœnitentiam, non ſigna pulſentur, nec ſalutaris hoſtia immoletur, nec in cæmeterio ſepeliatur.

§ VI. Quam graviter Deus proprietarios castiget, ex sancto Gregorio discere possumus: Quadam die, ait, ex Monasterio sancti Andreæ transmissi sunt duo fratres pro quibusdam rebus coemendis, perexerunt utrique, & de precio, quod acceperunt, unus nesciente altero furtum fecit. Qui mox ut ad Monasterium sunt reversi, atque ad oratorii limen venerunt, arreptus a Dæmone is, qui furtum fecerat, cecidit, & vexari cepit. Dimissus autem a Dæmone concurrentibus Monachis requisitus est, num forsitan de eo, quod acceperat, furtum fecisset? Negavit, iterum vexatus est. Octo itaque vicibus negavit, octo vicibus vexatus est. Post octavam vero negationem confessus est, quantos nummos furto abstulerat. Et agens pœnitentiam peccatum recognovit; ulterius vero ad eum Dæmonium non accessit.

S. Gregorius Lib. 9. Epist. 38.

§ VII. Quidam prior referente Zacharia Boverio, (in anal. A. D. 1569.) multum pecuniæ ex manuali suo labore corraserat, qui postea ita fætere cœpit, ut præsentiam ejus nemo tollerare potuerit, sejunctum ergo cum fratres aliquando inviserent, viderunt capite de lecto miserabiliter pendere, atque a Monstrosa fele ad collum graviter lacerari, ac suffocari, cum fratres in ab actione felis se multum fatigassent, ægrotus non cum fele, inquit, sed cum Dæmone vobis res est! hoc suplicium mihi vitæ turpitudo, concupiscentia, violata paupertas, ac spreta regulæ observantia peperit; discite vos meo exemplo meliora. Quibus dictis inter horrendum stridorem a fele præfocatus emisit animam.

§ VIII.

§ VIII. Quali ſuppellectili inſtrui debeat cella Monachi, oſtendit nobis Sunamitis: faciamus, inquit, ei cænaclum parvum, & ponamus ei in eo lectulum, & menſam, & ſellam, & candelabrum (4. Regum 4.) ſufficiunt hæc pauperi Chriſti ad neceſsitatem. Caſsianus ſuppellectilem Monachi recenſens nominat ſportellam, ſaccellos, codices, mattam, & psiathium, quod ſimul pro ſella, & lecto erat. Sanctus Ephraim prohibet quævis ornamenta cellarum: ne inutiles, inquit, exornemus parietes, ac muros, cum cella ornatior patientiam non præbeat. Quæ ad neceſsitatem ſunt, queramus, ſuperflua enim, & diſtractiones pariunt, & ſunt pernicioſa (in ſententiis) ſuperfluitas ſervis Dei nihil aliud eſt, quam ſatan, & virulenta vipera, dixit quidam verus Aſceta.

Caſsian. Lib. 4. Collat. Cap. 21.

CAPUT XI.

De Caſtitate.

§ I.

Eunuchiam, quæ propter regnum Cœlorum eſt, non omnes capiunt: qui eam poſſederit, in terra honorabitur; & in cœlis ab Excelſo coronabitur, inquit, unus ex ſanctis Patribus, ſed pauci per hanc viam recte ingrediuntur, quia ſupra modum ardua maxime juventuti. Sanctus Chryſoſtomus ait: „ Audivimus hoc noſtro ſæculo „ nonnullos ferro totum corpus obligantes, & ſacco veſtien-

„ tes, & ad vertices montium currentes, & in continuis
„ vigiliis, ac inedia summa viventes, omnem disciplinæ
„ severitatem ostendentes, & omnibus mulieribus ingres-
„ sum in domunculam, & tugurium suum interdicere,
„ atque hac ratione se ipsos castigantes, ægre tamen con-
„ cupiscentiæ furorem comprimere. At tu dicis, quod
„ licet videas cohabitantem fœminæ, & alligatum, & de-
„ liciantem, non suspiceris aliquid mali. O admirande!
„ non eorum, qui cum hominibus, sed qui inter lapi-
„ des vivunt, hic affectus est, contra eos, qui subintran-
„ tes habent Cap. 5.)

§ II. Climachus narrat fuisse Juvenem, qui propter virtutum merita prius Onagris imperabat, cœlestique pane nutriebatur, sed hunc tandem (heu dolor!) lapsum in peccatum molliciei, unde non solum pristinam gratiam amisit, verum etiam cum post lapsum occultum suum delictum amarissime defleret, nihilominus audire debuit, sanctum Antonium de se dixisse: Magna columna cecidit! Alter ex gravissimis morbis, & senio dicebat, se habere corpus præmortuum, nec esse posse de se suspitionem lapsus; & tamen cecidit. Quam sæpe factum est, ait sanctus Basilius, ut qui triginta, aut viginti annos se in castitate, jejuniis, continuis precibus, in multis item lachrymis, & corporis macerationibus discrutiarunt, tandem colapsi sint, & in portu, sicut ajunt, naufragium fecerint miserabili prorsus spectaculo (Princip. proverb.) Horrendum est, quod scribit sanctus Anastasius Sinaita dicens: Vidi viros centum annos natos imbeciles, & toto

Climac. Grad. 15.

ferme

ferme corpore trementes, qui tamen non potuerunt abſtinere a peccato corporali (de Pollut. quæſt. 8. P. 1. Bib. P. P.

§ III. Caſtitatem primo omnium Chriſtus docuit; hæc eſt doctrina ſancti Auguſtini. Eam ſancti Patres ab initio Monachismi cenſuerunt ad perfectionem unice neceſſariam; nihil enim ita Deo Monachos familiares efficit, ut pulchra, & honeſta, & Deo gratiſsima caſtitas, ait Marcellus Scitheota, Abbas Monaſterii Monidion apud Joannem Mochum. „ Hæc præſtat honeſtatem, & perſe- „ verantiam jugiter vacandi Domino ſine diſtractione. Mu- „ lier innupta, & virgo cogitat, quæ domini ſunt, ut ſit „ ſancta corpore, & ſpiritu, ait ſanctus Apoſtolus Paulus. „ Porro hoc ad utilitatem veſtram dico: non ut laqueum „ vobis injiciam, ſed ad id, quod honeſtum eſt, & quod „ facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſe- „ crandi." Et quam pretioſa ſit coram Deo Virginitas, „ Chriſtus ſuo exemplo clare oſtendit; Ipſe de Virgine Immaculata natus eſt, & ipſe Virgo Joannem Apoſtolum, qui erat Virgo præcæteris dilexit, Apoſtolos a conſortio conjugali abſtinere docuit. Denique, qui ante ſedem Dei, ante Thronum canunt canticum novum, qui ſequuntur, agnum quocunque ierit, hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, Virgines enim ſunt (Apocal. 14. v. 3, 4.)

S. Auguſt. Homil. 30.

Prat. Spirit. Cap. 42.

Corint. 7. v. 34. & 35.

§ IV. Hac virtute Monachus aſsimilatur Angelis, quam proinde, ut lilium inter ſpinas omni ſtudio cuſtodire debet. Triplici enim cum hoſte nobis colluctandum

eſt, quorum nullus ceſſat carnem pro viribus inflamare. Primus, ipſa natura eſt: alter, cibus, & potus: Tertius, Dæmon, magni Antonii hæc ſententia eſt. Tactus præcipue inſidiis ſuis allicit, quo ſæpe fit, ut teſte Climacho, corpus inquinetur. „ Hinc quidam matris manui pallium „ circumdedit, volens oſculari. Quidam vero nec matrem, „ nec ſororem oſculari voluit; dicenti autem Matri: Num „ quid ego non ſum Mater tua? reſpondit: ſed etiam fœmi- „ na, quas Dei ſervi oſculari non debent." Hinc docemur, ut nec alienum, neque noſtrum corpus manibus contingamus absque neceſsitate; fugienda eſt omnibus modis etiam leviſsima libidinis occaſio, igni, ac ferro, ut quidam dixit, abſcindenda a mente luxuria, atque hoc fuit, quod etiam apud Barbaros pro magno probro ducebatur virum etiam conſpici nudum.

Pellagius libe'. 4. Nro 1.

Grad. 15.

Pellagius Lib.4. Nro 68.

Vita S. P. P. Occident.lib.7. Cap. 10.

§ V. Remedia contra hunc indomitum hoſtem præſcribit ſanctus Gregorius Naſianzenus, timorem Dei, & amorem, vigilias, preces, lachrymas, & dormitionem in terra (ex hom. ad Virgin.) Quoniam vero duo iſta Dæmonia, ut loquitur Tertullianus conſpirata, & conjurata inter ſe ſunt, Ebrietas, & libido (Lib. de ſpectac.) ſic omnium maxime crapula fugienda eſt, tam quam veneris hamus. Fames quoque eſt medium idoneum ad comprimendum impetum libidinis. Interim niſi mortificationes corporales fulciantur ſingulari auxilio Divino, ſecuri eſſe non poſſumus: Ego novi, inquit Climachus, ad ſummum jejunantes valide fuiſſe quaſſatos carnis motibus, multum tamen conferunt mortificationes adſuperandas carnis tentatio-

Climac. Grad. 15.

tationes, & ideo erant, qui ſe ingellidas undas immerſerunt; alii in nives, alii cum ſancto Benedicto in vepres, alii cum ſancto Martiniano in ignem intrarunt. Plerique ſubſidium quæſiverunt, a flagellis, ciliciis, jejuniis, vigiliis, lachrymis, ac precibus.

§ VI. Præcæteris ad Caſtimoniam facit fuga fœminarum, omne proinde conſortium, & familiaritas cum illis vitanda: Num quid enim, ait Sapiens, poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunnas, ut non comburantur plantæ ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus, qui tetigerit illam. „Hinc Job: pepigi „fœdus cum occulis meis, ut ne cogitarem quidem de „Virgine, nec ſatis eſt, ait ſanctus Baſilius, cogitatio„nes de fœminis comprimere, niſi vitemus etiam con„greſſus maxime eos, qui tentationes excitant, & mo„tus, quique rationem confundunt (Conſtit. Monaſt. 3.) „Abbas Paulus apud Caſsianum, nec veſtem muliebrem „voluit aſpicere. Sanctus Theodorus ſtudita in teſtamento „ſuo prohibuit, ne ſui Monachi in Monaſterio unquam „haberent non modo fœminam, ſed nec jumentum ſexus „fœminei, adeo a Monachis abeſſe voluit omnem phanta„ſiam mulieris. Delatus eſt quidam Monachus in Capi„tulo, quod mulieri dextram dederit. Qui cum dixiſſet, „fœminam eſſe ſanctam, Præſidens ait: Pluvia bona eſt, „& bona terra; tamen ex earum commixtione fit lutum, „quo homo fœdatur."

Proverb. Cap. 6. v. 27.

Abbas Paul. apud Caſs. coll. Cap. 26.

Apud Baron. A. D. 826.

Lib. 7. Vit. P. P. Occident. Cap. 10.

§ VII. Nec Sanctitas personarum, nec Consanguinitas securum reddit Monachum a periculo lapsus. Quidam a persecutoribus multa perpessus, amputatus missus fuit in carcerem, ait sanctus Macarius Ægyptiacus. Ministrabat autem ei castimonialis quædam, qua cum post contractam familiaritatem cecidit. Ruffinus narrat quemdam Monachum habitasse in Eremo; Venisse autem ad eum consanguineam, cumqua tandem peccaverat, cum ingenti Dæmonum tripudio. Bene igitur sanctus Dorotheus doctrina 20. ait: Melius est tibi lætiferam eruginem comedere, quam edere cum muliere, etiamsi mater, vel soror tua sit, nam etsi nec cum matre, nec cum sorore, aut consanguinea peccares; hæ tamen ipsæ in mentem transferent personas sexus muliebris.

S. Macar. Homil. 27. quæst. 6.

Ruffin. 2. Libr. 2. vit. P.P. Nro 14.

§ VIII. Si tantum periculum sit, a sanctis, & cognatis mulieribus, quantum erit ab extraneis. Pars testamenti sancti Theodori studitæ est, non ineas amicitiam cum Canonica seu Moniali, neque ingrediaris Monasterium fœminarum, nec solus colloquaris cum Monacha, aut sæculari, nisi necessitas trahat, idque cum duabus, aut utraque personis adstantibus, unius enim, ut ajunt, facilis est calumnia. Non apperies ostium Monasterii ad intromittendam fœminam ullam sine magna necessitate, non statues tibi diversorium, in quo sunt etiam mulieres. In Oecumenico Concilio VII. seu Niceno II. decernitur, ne comedant Monachi, aut Sacerdotes cum fœminis, quamlibet cognatis, nisi necessitas postulet, sic tamen, ut præsentes sint honesti viri, ac fœminæ (Canon. 21.) Sanctus

Ephra-

Ephraim rationem afsignat, cur in eadem menſa Dei ſervus eſſe non debeat cum fœminis. Nam Monachum, ait inter epulas cum fœminis verſari, idem eſt, ac ſe in ignem conjicere, qui autem earum fugit conſuetudinem, fugiat tamquam dama a retibus, & velut avis a laqueo. De humil. aquir. Cap. 82.
„ Recte proinde reſponſum eſt fratri ad ſuos pergenti,
„ quærentique, an cum iis edere liceat? cum mulieribus Joannes Subdiac.
„ non manduca. Denique vinum & mulieres apoſtatare Lib. 4. Nro 19.
„ faciunt Sapientes, dicit ſanctus Spiritus."

§ IX. Sanctus Baſilius ingreſſum ad Monaſterium fœminarum prohibet, aditus, inquit, ad Monaſteria obſtruatur mulieribus, ſermone, qui incipit: Homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei &c. Turonenſis quoque Concilii ſecundum decretum eſt, ne mulier intra ſepta Monaſterii ullatenus introire permittatur, ſi Abbas in hac parte, aut Præpoſitus negligens apparuerit, qui eam viderit, & non ſtatim ejecerit excommunicetur (A. D. 567. Conſtitut. 17.) Patres ſi quidem noſtri variis caſibus docti fœminas a viris veluti peſtem dimoverunt, gnari noſtræ fragilitatis, & vehementiæ paſsionis, quæ ſi vel ſemel nacta eſt aditum, homo nequit ad Deum reſpicere, nec aliquid ſapere Deo dignum, quidam Sanctorum dixit: Principiis obſta, alioquin concupiſcentia, ubi conceperit, parit peccatum.

S. Baſil. Thom. 2. nov. edit. Venet. p. 169. ſub litera C.

Climac. Grad. 15.

§ X. Dicunt quidam nulla re ita delectari Dæmones, ut libidinis fætore, qua de cauſa boni Monachi omnibus viribus involuntariæ etiam paſsioni, quæ dormientibus contingit, reſiſtunt, vocantes eam ſocordis animi in-

dicium: libidinosos Monachos sacri Canones acriter castigant. Concilium Aurelianum I. Canon. 23. statuit: Monachus si pellici, vel uxori fuerit sociatus, tantæ prævaricationis reus nunquam Ecclesiastici gradus officium sortiatur. Canon. 44. Concilii generalis contra Monothelitas est: Monachus in fornicatione deprehensus subjiciatur pœnis fornicantium; satis clementer, quia Monachi fornicatio votifragium adjunctum habet. Synodus sive Augustana, sive Ratisbonensis sub sancto Bonifacio habita severius statuit. Statuimus, inquit, ut quisquis servorum Dei, vel Ancilarum Christi in crimen fornicationis lapsus fuerit, in carcere pœnitentiam faciat in pane, & aqua: etsi ordinatus Præsbyter fecerit, duos annos in carcere permaneat, antea flagellatus: Si autem Clericus, vel Monachus in hoc peccatum inciderit, post tertiam verberationem in carcerem missus unum annum ibi pœnitentiam agat &c.

§ XI. Sanctus Basilius Monachum, ob carnis lapsum tamquam adulterum puniendum decernit. Quæ enim, ait, Virginitatem professa, a suo promisso lapsa est, peccati adulterii tempus incontinentiæ præscripto complebit. Idem & in iis, qui vitam Monasticam professi sunt, & labuntur. „ Ubi, & de adulteriis: Qui mechus est, ait, „ per 15. annos Sacramentorum non erit particeps. Quatuor substratus, per duos consistens sine communione, „ quod si sit etiam in Clerum assumptus ejiciatur a Ministerio. Quod ad Clericos attinet, ait indefinite, Canones exposuerunt: unam lapsis jubentes pœnam ejectionem

S. Basil. Epist. 3. ad Amphilochium de Canon. Tom. 3. nov. edit. pag. 178.

„ nem a Miniſterio, ſive in gradu fuerint, ſive etiam in
„ Miniſterio, quod manuum impoſitione non datur, per-
„ maneat. Virtute Canonis hujus quanti Sacerdotes ab
„ Ara ejici deberent modo? diſimulat Eccleſia, lugetque,
„ ſed væ! væ! Sacerdoti fornicario, præſertim Jero
„ Monacho!!



IMAGO
VITAE MONASTICAE
PARS III.

CAPUT I.
De Oratione.

§ I.

Sine intermissione orare ait Apostolus. „ Unde sanctus
Basilius totam vitam Monachi dicit esse tempus orandi.
Apostol. 1. Thæsa- „ Non tamen eo sensu accipiendum est, quod mens actua-
lone. C. 5. v. 17. „ liter absque intermissione ad Deum elevari debeat, id
S. Basil. „ neque Apostolus intendit, neque status hujus vitæ ad-
Serm. Ascet. 1. „ mittit. Nam & ad laborandum, & manducandum, & dor-
„ miendum egemus tempore, neque gratis panem man-
„ ducamus ab aliquo, id ait Apostolus, sed in labore, &
Apostol. 2. Thæsal. „ in fatigatione nocte, & die operantes, nequem vestrum
Cap. 3. v. 8. „ gravaremus. Et sanctus Basilius distribuit tempora pro
S. Basil. „ Oratione habenda. Tam sublime bonum, si posset im-
Regul. fusio. 37. „ petrari, expetendum esset, quia multum valet deprecatio
Jacobi 5. v. 6. „ justi assidua. Eloquia Dei meditata, & suaviter decantata

nu-

„ nutriunt animam, & tuentur. Corpus vero custodiunt. „ Dæmones repellunt, & summam animæ tranquilitatem ge- „ rant." Verum bene psalere, & orare hoc opus, ne hic labor est. Fratres quidam Abbatem Agathonem interrogabant. Pater! quæ virtus in conversatione plus habet laboris? Et dixit eis, ignoscite mihi, quia puto non esse alium laborem talem, qualem orare Deum, dum enim voluerit homo orare Deum, semper inimici Dæmones festinant interrumpere orationem ejus ad Deum, scientes, quia ex nulla re impediuntur, nisi per orationem: Si quidem omnem alium laborem, quem homo in vita Monastica constitutus assumserit, quamvis instanter, & tolleranter agat, habet tamen, & posside t aliquam requiem; Oratio autem usque ad ultimam exhalationem opus est, ut habeat laborem magni certaminis, ait Climachus. Tam laborioso operi, quia pauci pro virili se tradunt, hinc nihil proficiunt: Monachi charitas ad Deum maxime, quo tempore adstat orationi, deprehenditur: statum tuum oratio manifestat tibi, hæc enim est Monachi speculum. Sed quis est ille, cujus mens aliquando non distrahatur cogitationibus alienis? Sanctus Hilarion oravit aliquando fixo in terram capite, & abducta ab oratione mens nescio, quid aliud cogitabat, ait sanctus Hieronymus, insilivit dorso ejus Diabolus, & latera calcibus, cervicem flagello verberans, eja, inquit, eja curre, quid dormitas? Cachinansque desuper, si defecisset, an hordeum vellet accipere? sciscitabatur? Sanctus Macarius Alexandrinus per quinque dies absque ulla distractione desideraverat Divinitatem contemplari,

Ephraim Epist. ad Joann. & de synaxi. Cap. 5.

Climac. Grad. de orat. 28.

S. Hieron. vit. S. Hilar.

plari, & ultra biduum non poterat a ſatana diſtractus, re-
Paladius Cap. 22. ferente Paladio. Odit hic præcipue pias preces Sanctorum. Vere ars artium eſt interorandum mentem ita figere, ut furtim quandoque non ex ſpatietur. In hac in-
Climac. Grad. 41. conſtantia ſolatur nos ſententia Climaci. Si dum, oras, inquit, inimicus ſubtiliſsime irrepit, animique intentionem clam, ut fur avertit, bono animo eſto, dum ſemper lubricam revocas mentem: Angelis enim ſolis datum eſt hujusmodi non patere furibus.

§ II. Ad bene orandum non nihil facit etiam compoſitio corporis, quanta quiete antiqui Patres Synaribus
Caſsian. Lib. 2. Inſt. Cap. 10. ſuis, ſeu collectis interfuerint? Caſsianus ita refert. Cum ad ſolemnitates, quas Synaxes vocant celebraturi conveniunt, tantum a cunctis ſilentium præbetur, ut cum in unum tam innumeroſa fratrum multitudo conveniat, præter illum, qui conſurgens Pſalmum decantat in medio, nullus hominum penitus adeſſe credatur: ac præcipue cum conſumatur oratio, in qua non ſputum emittitur non excreatio obſtrepit, non tuſsis interſonat, non oſcitantia ſomnolenta, nulli gemitus, nulla ſuſpiria etiam adſtantes impeditura promuntur, nulla vox absque Sacerdotis precem concludentis auditur: illum vero, qui conſtitutus in tepore mentis, cum clamore ſupplicat, aut aliquid horum, quæ prædiximus e faucibus ſuis emittit, dupliciter peccare pronuntiant. 1-mo Quod orationis ſuæ reus ſit, quod eam videlicet negligenter offerat Deo. 2-do Quod in diſciplinato ſuo ſtrepitu alterius quoque, qui intenſius orare potuit, intercipit ſenſum. Alexandro Macædonum Rege

ſacri-

facrificante Diis fuis, dicunt puerulum Barbarum ignem manibus excepiſſe, & aduſto corpore manfiſſe immobilem, nec dolorem prodidiſſe gemitu. Tanta fuit in puero diſciplina reverentiæ, ut naturam vinceret. Attamen fi necefsitas fecum fert flegma de pectore ejiciendi, id fiat, ad latus, & illico pede conculcetur, ne aliis naufeam pariat, aut ftrophio excipiatur.

§ III. Quomodo fe quisque in toto orationis progreſſu habere debeat, ut eo perfectius oret: fequens aurea regula proponitur a fanctis Patribus. „ Facto figno pro Offi-
„ cio Divino dimittas omnia, quæ erunt in manibus tuis, &
„ primus eſſe in Choro femper contendas tam nocte,
„ quam die. Exiens e cella fores fine ftrepitu apperi,
„ & claude; In cantu non frangas vocem, aut fœmi-
„ neis accentibus aliis te dulciter canere oftentes, fed vo-
„ cem tuam in fortitudine fpiritus exaltans, Deum tuum
„ laudare fatagas. Non adhæreas humeris ad fedilia,
„ fed ftans viriliter genibus junctis, & pedibus, nec tibias
„ fupra genua, neque pedem fuper pedem reponas. Cum
„ federis pedem ultra fimbriam non extendas, non fufpi-
„ res ibi, fileas, non legas alta voce dum tacent alii. Non
„ gemas, aut pectus ibi percutias immoderate, quia Hy-
„ pocritarum hic mos eft. Inclina, & erige te uniformi-
„ ter cum aliis, femper cum fedendum eft, tu fis ulti-
„ mus, & primus in furgendo. In Choro non loquaris,
„ non rideas, non fis vagus, & curiofus, fed femper afpe-
„ ctus tui defixi maneant ad pedes tuos, ne in ullo ob-
„ tutum Angelorum offendas. Cum ibidem errores con-

tige-

„ tigerint, tu neminem corrigas, sed quietus persevera. „ Cum strepitus aut rumor acciderit, tu non eo statim oc- „ culos volve, sed semper in eodem statu perseveres, non „ sis inquietus, & strepitosus. Si nasi, aut pectoris indi- „ ges purgatione, tam discrete perage, ne aliis nauseam „ crees. In auribus, aut naribus non figas digitos, neque „ tibi dentes purgaveris, hoc enim valde indecorum est. „ Si pruritu corporis stimulatus fueris, caute manum „ admove. Sine urgente necessitate non recedas ab offi- „ cio divino, in fine defectus tuos examina." Tam vi- gilans morum compositio non facile distractiones mentis admittet.

§ IV. Modi orandi varii sunt; Apostolus docet le- vare puras manus in oratione. „ Ideo vero levamus ma- nus, quia petimus a Deo, quæ de cœlis, & cœlestia sunt, ait sanctus Augustinus. Nudo capite solent orare viri, quod requirit idem Apostolus, & a primis Christianis observatum semper fuisse, Tertullianus ait: Idque insi- gnum reverentiæ, humilior adhuc orandi modus est fle- ctere genua, manibus cedere pectus, & faciem humi volutare, collidereque frontem in terram, quos modos agnoscit etiam sanctus Augustinus. Attamen die Do- minico, inquit Tertullianus, jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare (de coron. milit.) Sanctus Au- gustinus quoque a stantibus orari, & Alleluja cantari vult die Dominica." Et Cassianus hoc quoque ait, nosse de- bemus a vespera Sabbati, quæ lucescit in diem Domini- cum ad Vesperam sequentem apud Ægyptios genua non cur-

1.Tom.2. v. 8.

S.August. Con. 14. Psal. 118.

Tertull. Apol. advers. gent. Cap. 30. adversus Marc. 18.

S. August. Lib. de cura pro morte Cap. 5. Lib. 2.9.4. & simpl. & serm. 4. de S.S. C. 5.

S.August. Epist. 119. Cap. 15.17.

curvari, ſed nec totis quidem quinquageſimæ diebus, quibus tempus Paſchale concluditur, cujus rationem deducit ex memoria Reſurectionis Domini. „ Antiquitus fideles Caſsian. Collat. 21. interorandum convertebant ſe ad orientem." Cauſam dat Cap. 12. Cyrillus Hieroſolimitanus, ut nempe cogitaremus nos re- Tertull. Apol. adverti velle eo, quo abjectus eſt Adam, ad paradiſum in verſ. gent. Cap. 16. plaga orientali ſitum, juxta ſanctum Clementem, ut ad Clemens orientem verſis vultibus ſtaremus. Cantare in Eccleſia An- Libro 7. Strom. tiphonas, Pſalmos, & Hymnos Choris alternantibus, ait Socrates eſſe a ſancto Ignatio Apoſtolorum diſcipulo, & Epiſcopo Antiocheno. Hic, inquit, viſionem vidit Angelorum ſanctam Trinitatem Hymnis alterna vice decantatis collaudantium, & formam canendi in ea viſione expreſſam, Eccleſiæ Antiochenæ tradidit, unde illa tra- Socr. lib. 6. Hiſt. ditio in omnibus Eccleſiis recepta eſt." Quem morem Cap. 8. perſecutionum tempore interruptum per Flavianum, & Dio- Theodor. dorum fuiſſe reſtauratum, ex Theodorecto conſtat. Lib. 2. Hiſt. Cap. 24.

§ V. Cum Zelo, & fervore oportet orare, qui tepide orat, ejus vana eſt oratio, & fit ſine efficatia. Petimus, & non accipimus, quia frigide, & languide petimus. Venit quidam ſenex in montem Sinai, cui frater occurens cum dolore dicebat, affligimur Abba propter ſiccitatem: cui ſenex; Quare, inquit, non oratis pro pluvia Deum, & oramus, & precamur aſsidue Deum; reſpondit ille, & non pluit, ſed non oratis attentius, ait Senex, vis autem ſcire, quia ita eſt? Veni, ſtemus pariter ad orationem, & extendens in Cœlum manus oravit, &

ſtatim pluvia deſcendit. Exempla fervidæ orationis multa occurrunt. Abbas quidam, ait Pellagius, fervorem orationis fratribus demonſtraturus expandit manus ſuas in Cœlum, & facti ſunt digiti ejus velut decem lampades ignis; Senior quidam inviſit alterum: Cum autem ante refectionem ſolitas preces ſimul incepiſſent, in ſpiritu ita exarſerunt, ut obliti refectionis totum abſolverent cantando pſalterium, & duos integros Prophetas recitarent, intereaque non modo dies, ſed & nox præteriit, ſicque alter jejunus, ut venerat, receſsit, & tunc alter recordatus eſt ollæ ſuæ, in qua lentes cocxerat.

§ VI. Tametſi quovis tempore, ac loco orare homo
Lucæ 18. v. 1. poterit, imo juxta Chriſti conſilium opportet ſemper orare, & non deficere. Attamen ab initio Eccleſiæ ſtatuta, & obſervata ſunt a fidelibus maxime a Monachis, & Eccleſiaſticis certa precandi per diem naturalem tempora: ut noctis medium, matutinum, hora prima, tertia, ſexta, nona, veſpertinum, & finem diei artificialis. Octo igitur ſunt deſignata pro oratione tempora: unum media nocte. Septem per diem artificialem ſanctus Benedictus diſtribuit ex pſalmiſta: Septies in diem laudem dixi tibi." Cui con-
Pſalm. 118. Cap. 164. ſentit ſanctus Ephraim, dicens: Septies in die ora, ſicut a filio didiciſti Iſai (in Cantico ſuo) Ubi matutinæ preces cum vigiliis nocturnis conjungebantur, ut nunc fieri ſolet. Septies in die laudem dixi, intelligitur dies naturalis continens 24. horas. Nocturnæ preces, quæ vigiliæ dicuntur ex pſalmiſta originem habuerunt dicente: „ Media

nocte

„ nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ut innuit ſanctus
„ Benedictus. Earum meminit ſanctus Cyprianus dicens: S. Bened.
„ In nocturnis quoque tenebris orandum. Et ſanctus Hie- Pſalm. 118.
„ ronymus ad Demetriadem ait: Media nocte orandum. S. Cyprian. Lib.
„ Matutinæ preces, ſeu laudes deſumptæ ſunt ex eodem de diſcip. & habit.
„ pſalmiſta, ut Caſsianus docet, dicens: Deus Deus meus, Virg. S. Hieronym
„ ad te de luce vigilo. Et in matutinis meditabor in te? Epiſt. 8. & 24.
„ Idem prævenerunt oculi mei ad te diluculo (pſalmo 118. Caſsian.
„ v. 148.) Nam & mane orandum eſt, ut reſurrectio Domini L. 3. Inſtit. Cap. 3.
„ matutina oratione celebretur, ait ſanctus Cyprianus (Lib. Pſalm. 62.
„ de diſcip. & habit. Virg.)

§ VII. Horæ primæ Canonicæ mentionem veteres raro faciunt, quia non erat apud omnes inuſu, & disjunctis vigiliis a matutino numerus ſeptenariæ orationis per diem naturalem absque prima etiam hora completur. Verum quia officio matutino completo, multi usque ad tempus horæ tertiæ dormire ſolebant, ferventiores ſtatuerunt, ut fratres oriente ſole, hoc eſt, hora prima ad orandum convenirent, ac tres pſalmos cum orationibus tempori accomodatis recitarent, ut in reliquis horis conſuetum eſt: Caſsian. Ita Caſsianus." Horæ tertiæ, ſextæ, nonæ meminit ſanctus Clemens, Tertullianus, Cyprianus, & ſanctus Hieronymus cum aliis. Eas inde ortum habuiſſe refert Casſianus, quod hora tertia Spiritus Sanctus miſſus fuerit, ſexta Chriſtus crucem conſcenderit, ac ſancto Petro vocatio gentium demiſsione lintei oſtenſa fuerit. Nona obdeſcenſum Chriſti ad inferos, & quod eadem hora Cornelio

Lib. 3. Inſt. Cap. 4.

prædicta ſit vocatio gentium, & Petrus, ac Joannes in templum orandi cauſa aſcenderint, atque hinc Cyprianus ait: Horam tertiam, ſextam, & nonam jam in Eccleſia antiquitus ad preces eſſe diſtributas, quibus adjungit veſperas, dum ait, recedente ſole eſſe orandum, quod & ſanctus Ephraim facit (de beatit.) ſanctus Hieronymus, & alii. Anſam dedit veſperarum ſacrificium veſpertinum cunctis diebus apud Hæbreos celebratum, & incruentum illud Chriſti Domini ſacrificium cœnantibus Apoſtolis, ut narrat Caſsianus. Supereſt adhuc complectorium, quod diem, & officium Divinum claudit, & complet. Fit enim dic ceſſante, & quidem neceſſario, ut ſanctus Cyprianus ait: Caſsianus hanc horam lucernalem appellat, unde ejus preces lucernales ab Epiphanio, & lucernaria gratiarum actio (de Spiritu ſancto). Et a ſancto Chryſoſtomo lucernarum officium nuncupatur." Denique in Oecumenico Concilio VI. Ne genua, inquiunt Patres, a veſperis Sabbati flectantur usque ad completorium Dominicæ (Canone 9.)

S. Baſil. de S. San. Cap. 29.

§ VIII. De vigiliis Monachorum, ait ſanctus Baſilius: Quod aliis eſt tempus matutinum, id pietatis cultoribus ſit media nox." Cum maxime nocturna quies otium animæ largiatur, neque oculis, neque auribus quidquam viſu, aut auditu exitioſum, in cor immittentibus; ſed mens ſola per ſe cum Deo verſatur, & per memoriam delictorum ſe ipſum corrigit, ſibique terminos ad declinandum malum præſtituit. Noli putare o homo! ait ſanctus Iſaac Monachus, quod inter omnes operationes Monachorum ſit alia quælibet ſancta converſatio major vigiliis nocturnis,

S. Baſil. Epiſt. 1. ad S. Gregor. prope fin.

qui-

quibus citiſsime perveniat, volet, & exaltetur mens in dilectione Dei (de contemptu mundi Bibl. P. P.) Sanctus Cyrillus ſummopere quoque laudat nocturnas ſynaxes propter aquirendam Divinam ſapientiam, meditationes, lectionem, contemplationem ſacræ ſcripturæ, pſalmodiam, orationes, & compunctionem (Catecheſi 9.) Hinc ſanctus Ambroſius ait: „Væ mihi! ſi non media nocte ſurexero ad confitendum tibi." Et ſanctus Ephraim ait: „Somnus ſi plus quam hymnus ametur Monachi mors eſt." Quam S.Ambroſius lib. 2. Cap. 3. in Lucam.

longè recesſimus ab antiquis veſtigiis? Leo IV. præcipit, ut omnes Sacerdotes, & Præsbyteri ad horas nocturnas omni nocte ſurgerent (Homil. de cura Paſtor) Concilium Carthaginenſe IV. privat ſtipendiis Clericum, qui excepta infirmitate de eſt, A. D. 398. Canon. 49. Graviſsime Lubdunenſe II-dum Clericus, inquit, qualiscunque, ubicunque fuerit, & Eccleſia ſit, & ad quotidianum pſalmodiæ ſacrificium matutinis, vel veſpertinis horis non interſit a Clero deponatur, ſi contumax ſit) A. D. 570. Can. 63.) Et non ſolum Eccleſiaſtici, verum etiam Laici viri, & fœminæ noctu ſurgebant ad preces, & nocturno, matutino, & veſpertino tempore ad Eccleſiam confluebant (Sanctus Ephraim homilia de feſtis). Et fatetur ſanctus Baſilius populum a media nocte usque ad meridiem in Eccleſia ſuam præſentiam expectaſſe." Caſsiani adhuc S. Baſil. in Pſalm. 114.

temporibus per totum Orientem vigiliæ, ſeu collectæ nocturnæ incipiebant feria ſexta ad veſperam, durabantque tota nocte, atque hoc fiebat in memoriam illius noctis, qua conſternati Apoſtoli ob mortem Domini manebant per

vigiles. Vix itaque ea nocte fratres duabus horis dormiebant, id ipſum faciebant die Dominica; hinc Monachi illis duobus diebus non jejunabant, ſed prandebant propter laſsitudinem vigiliarum jejunio quinque dierum in hebdomada conſtanter obſervato" Quæ ſacra conſuetudo a tempore Apoſtolorum in uſu erat.

Caſsian. Lib. 3. Inſt. Cap. 89.

§ IX. Sciens Dæmon noſtras collectas, ac preces Monachorum Deo eſſe gratiſsimas, omnia tentat, ut eas odioſas per noſtram negligentiam ante Deum efficiat, hinc unum a Choro penitus detinet, alterum elicit, tertium ſerius adire facit. In Choro hunc reddit diſtractum, illum inertem, alium properantem, multisque in his omnibus defectibus ſuggerit in peccantiam.

§ X. Nonnulli ſero ad orationem comparent. Peſsimum hoc Religionis indicium eſt. Sanctus Baſilius ſtatuit, ut niſi quis alacriter accedat ad pſalendum, aut corrigatur, aut expellatur, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat. „ Et neque diſcedas, inquit idem, ante finem orationis unquam reputans diſceſſum, talem gravem jacturam (Serm. de abdic. rer.) nec quisquam perſonam Judæ proditoris de Cœna Domini ante tempus exeuntis, melius repræſentat, quam is, qui ante finem a collectis diſcedit. Totum hoc opus a Satana eſt, cujus vires noſtris defectibus creſcunt. Quod judicium manebit illos, qui levi etiam de cauſa a collectis ſe penitus ſubtrahunt. Hac de re dicam vobis aliquid admirandum, ait ſanctus Dorotheus, quod a magno ſene quodam illuminato audivi, cum ſtaret is in Eccleſia in principio

S. Baſil. Reg. brev. 281.

pſal-

psalmodiæ vidit quemdam eggredi e sacrario candida veste indutum, qui tenebat vasculum quoddam aquæ benedictæ cum aspergillo, & intincto in vasculum aspergillo fratres omnes circumibat, obsignans quemlibet eorum, absentium autem loca nonnulla quidem obsignabat, quædam vero præteribat. Sub finem rursus vidit ipsum a sacrario eggredientem, idemque similiter facientem. Quodam die ergo Senex ipsum comprehendit, seque ad ejus pedes projecit! postulans ab eo quisnam esset, & cur ista faceret? Cui ille Candidatus sic respondit: Ego sum Angelus Dei missus ad hanc congregationem, ut hujusce modi signo munirem eos, qui a principio psalmodiæ usque ad finem pro sua alacritate, & diligentia, & insigni animi proposito in Ecclesia reperiuntur, ac perseverant. Tum Senex ei; qui fit, inquit, ut quorumdam etiam absentium loca signes? Cui sanctus Angelus respondit dicens: Quicunque ex fratribus diligentes quidem prompto sunt animi proposito, sed ob aliquam necessita em, aut infirmitatem absunt cum Patrum benedictione; aut certe ex obedientiæ præcepto occupantur, propter quod non adsunt, hi etiam absentes signum suum accipiunt, quandoquidem affectu psalentibus intersint: solis autem iis, qui cum adesse possunt, propter negligentiam absunt, hujusmodi signaculum negare jussus sum, quoniam se ipsos eo indignos reddiderunt. S.Doroth doctr. 11.

§ XI. In Cathalogo regularium pœnitentiarum apud Pachomianos mussitans, gariens, ridens, sub Psalmis, oratione, lectione debebat solvere cingulum, & inclinata cervice manibus ad inferiora depressis stare ante altare, ve-

niam

niam postulare, ac promittere emendationem, sustinereque increpationem a præposito. Dormiens sub ratione confestim jubebatur stare tamdiu, quamdiu Præsidi placuisset. Oratio dissolutorum fœtet coram Deo, de qua id dici potest, quod olim de sacrificiis, & oblationibus Judæorum per Deum dictum est: Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum, qui mactat pecus, quasi excerebret canem; qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur Thuris, quasi benedicat idolo (Isaii Cap. 26. v. 3.) Iniqui sunt cœtus vestri, Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea: Facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cum extenderitis manus vestras, avertam oceulos meos a vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam: Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt, lavamini?

Idem Isai Cap. 1. v. 13. 14. 15.

§ XII. Præcipit Apostolus, ut nosmet ipsos doceamus, & commoneamus in Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus nostris Deo. Ab exordio Ecclesiæ fideles habuerunt Hymnos, & Cantica spiritualia, quæ populus in Ecclesia cum Clero cantabat. „ Teste sancto Hioronymo." Quod postea in Laodicensi Concilio Cap. 15. abrogatum est, sanctione facta, ut de cætero solus Clerus cum cantoribus tacente plebe cantaret, ne scilicet imperitia vulgi suavitas cantus disturbaretur. Cum autem negotium Angelicum sit, Deo laudes cantare, hinc solliciti majores nostri, ut cantus in Ecclesiis recte, & ordine perageretur, Scholas instituerant, in quibus cuntus studiose disceretur. Unde adhuc in Ec-

Colofs. 3. v. 16.

S.Hieron. Præfac. Epist. ad Gallat. Lib. 2.

cle-

clefiis Cathedralibus durat Officium Cantoris, cujus condam erat juventutem in Cantu inftruere, Cantumque in Ecclefia regere; Cantus fuavis compunctionem animæ adfert: Quantum flevi, inquit fanctus Auguftinus in Hymnis, S. Auguft. Lib. 9. Confef. Cap. 6.
& Canticis tuis, fuave fonantis Ecclefiæ tuæ vocibus commotus acriter! Voces illæ influebant auribus meis, & elliquebatur veritas tua in cor meum, & ex ea eftuabat affectus pietatis, & currebant lachrymæ. Verum cum mihi accidit, idem ait, ut me amplius cantus, quam res, Idem lib. 10. Confef. Cap. 33.
quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccaffe confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.

CAPUT II.

De Sumptione Euchariftiæ.

§ I.

Primi Chriftiani quotidie communicabant: Si quotidianus eft panis, inquit fanctus Ambrofius, cur poft annum illum fumis? accipe quotidie. De Romanis fanctus S. Ambrof. lib. 5. de Sacram
Hieronymus ait: Scio Romæ hanc effe confuetudinem, ut fideles femper, nempe omnibus diebus, Chrifti Corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo, unus quis enim in fuo fenfu abundet. „ Monachis olim vehementer S. Hiron. Epift. 28.
„ fuadebatur quotidiana Communio; qui enim fe ab ea pro„ cul amovet, Deus quoque procul ab eo difcedi." Crefcente Pallad. Cap. 52.
poftea numero Monachorum fub fancto Antonio, & Pachomio quotidiana fratrum Communio etiam ceffavit, &

Sozomen Lib.3.Hist. Cap. 13. non nisi primo, & ultimo Hebdomadis die, dicti fratres communicabant. „ Id ipsum de Monachis Palestinæ, & Cassian.3. Instit. 2. Mesopotaniæ tradit Cassianus." De Ponti, & Cappadotiæ scribit sanctus Basilius: Nos, inquit, quater singulis hebdomadibus communicamus Dominica die, quarta die, in Parasceve, & Sabbato; aliis item diebus, si sancti alicujus memoria recolatur. Ad Cæsariam Patriciam (de commun.)

Basilius Epist. 93. alias 289. § II. Omnes in solitudinibus Monachi, ibidem ait sanctus Basilius, ubi non est Sacerdos, communionem domi servantes suis ipsorum manibus sumunt. Alexandriæ autem & in Ægypto unus quisque etiam de plebe, ut plurimum habet domi communionem, quando vult per se ipse sit illius particeps. Postquam enim Sacerdos sacrificium absolvit, ac porexit, qui illud, ut totum simul accipit, is dum quotidie participiat, merito credere debet se ab eo, qui dedit, participare & accipere." Id S. Basil. Epist. eademXCIII. ad Cæsariam. potissimum temporibus persecutionum fiebat, dum publici conventus, & sacra Mysteria celebrari non poterant. Hæc consuetudo etiam cessante persecutione aliquandiu steterat superstes (Baron. A. D. 57.)

§ III. Communicantes a celebrante propriis manibus in formam crucis cancellatis accipere, orique admovere Ruffin. Lib. 1. Cap. 29. vit. P. P. solebant Eucharistiam, ita testantibus Ruffino") Sancto Ephraim contr. Negan. Resur.) ac aliis, eo cum discrimine: Mulieres nitido lintulo manus cooperientes, viri vero nudis manibus Corpus Christi a Sacerdote excipiebant (Concil. Altisiodorense Can. 33. & 101.) utrique conscientiam nitidissimam habentes. Neglectus sacræ communio-

nis

nis a ſanctis Patribus nunquam fuit probatus, & Satanas idcirco nactus poteſtatem in fœminam quamdam, teſte Palladio, quod per quinque hebdomadas non communicaverit, quid mirum igitur, ſi mala nos undique premant, cum non ſine dedecore reſpectu temporum priſcorum Laicis præcipi debuerit, ne per annum ſaltem non minus, quam ter communicarent (Concil. Turon. 3. Cap. 50. A. D. 813. Clem. ne in agro §. ſanct. lib. 3. titto.) Et Religioſis a Clemente Maximo menſtrua communio.

Pallad. Cap. 21.

CAPUT III.

De Eſca Monachorum.

§. I.

Quibus cibis Monachi veſci debeant, ſanctus Baſilius in variis locis exponit: „ Veri, inquit, Aſcetæ alimento „ ſiccisſimo utuntur, & comedunt ſemel per totam diem. „ In cibo panis explebit neceſsitatem, aqua ſedabit ſitim recte valenti: quibus accedent quæcunque ex leguminibus pulmenta corpori vires ad neceſſarios uſus conſervare posſunt (Epiſt. 1. alias juxta novum ordinem 2.) cum panis cor hominis confirmet, quid opus eſt condimentis." Itaque ſanctus Antonius præter panem, & ſalem ad victum nihil accipiebat (in vita S. Antonii). Et ſanctus Hilarion per triemum aliud nihil guſtavit, quam panem aridum cum ſale (vit. S. Hilar.) Sanctus Palemon hanc Diætam nec in die reſurectionis mutare voluit." Pachomii di-

S. Baſil. Conſtit. Cap. 6. prope fin.

Lib. de Virg. edit. Venet. Tom. 3. pac. 329.

Vit. S. Pachom. Cap. 8.

ſcipuli jejunaturi ad cellam ſolummodo deferebant panem, ſalem, & aquam, quo victu Zacheus utebatur perpetuo."

S.Hieron. Præfat. ad Regul. S. Pachomii vit. S. Pachom. Cap. 52.

Adque communis hæc primorum Monachorum refectio fuit, (Ruffin. Lib. 1. vit. P. P. Cap. 27.) Sanctus Baſilius ad panem neque ſalem adhibuit, dicens: Ad libidinem nihil magis concitare, quam ſalem (de Virg.) Sufficit igitur ſi panis ſale in coctione condiatur.

§ II. Panes autem, quibus veſcebantur Monachi, duri erant, ſicci, bis cocti, & idcirco prius aqua macerati. Jeſum teſtor, inquit ſanctus Hieronymus, & ſanctos Angelos ejus, in ea Eremi parte, quæ juxta Syriam Saracenis jungitur, vidiſſe me Monachos, de quibus unus per 30. Annos clauſus hordeaceo pane, & lutulenta aqua vixit." Et alii quam plurimi ſimili pane hordeaceo cineribus conſperſo vitam ſuſtentabant. Nonnulli pane furfureo utebantur. Et eo corrupto, ac vermibus ſcatente. Denique apud Scetenſes Anachoretas nefas erat manducare panem cum ſale ex juſculo aquæ etiam crudæ."

S.Hieron. Epiſt 9. & in vit S. Pachom. Cap. 5.

Tantum abſtinentiæ rigorem nauſeamque deliciarum hi Ægyptii Monachi a ſuis, ut credi pars eſt, accepere majoribus, apud quos olim etiam in conviviis a voluptatibus cavebatur, teſte Herodoto." Circumferebatur enim imago mortui hominis e ligno fabrefacti, & exhibebatur ſingulis cum hoc dicto: In hunc intuens pota, & oblectare, talis poſt mortem fies.

Pellag. refert lib.4 Nro 10.

Herodot. Lib. 2.

§ III. Infenſiores ventri hoſtes panem non libris, ſed unciis ponderabant, ſanctus Macarius Alexandrinus cujusdam Monachi unam tantum panis libram per diem

man-

manducantis volens abſtinentiam transcendere; quinque ſolum unciarum fruſtillum comedere ſolebat quovis die." „ Libra vero continet 12. uncias, qualem libram ſanctus Benedictus per diem ſuis Monachis præſcripſit: „Panis libra, inquit, una per diem, ſive ſemel, ſive bis comedatur." Multi ſolis oleribus, leguminibus, fructibus, aut radicibus absque pane vitam ducebant. Antiochus Eremita referente Georgio Præsbytero 30. annis panem non guſtavit contentus crudis oleribus cum ſale, & aceto, vinum, & oleum a 60. annis ignorabat." Et omnis multitudo Monachorum circa Jordanis ſolis victitabat oleribus, & dactylis. „ Sanctus Baſilius in cibum ſumſit olerum folia, eſcam pauperimorum: Ciborum noſtrorum, inquit optimi quibus affluimus, herbarum folia ſunt cum pane aſperrimo (Epiſt. juxta novum ordinem 41. alias juxta veterem 208. & 209. ad Julian. Apoſtat.) Unde ſanctus Joannes Eleemoſinarius: „Quanti, inquit, deſiderant ſaturari de foliis olerum, quæ projiciuntur de coquina mea?" Sic ſanctus Macarius per quadrageſimam cibavit ſe ſolis braſsicæ foliis crudis, quæ dumtaxat diebus Dominicis accipiebat."

Pallad. Cap. 22.

Regul. Cap. 39.

In vit. S. Theodori Siceotæ.

Theod. Cap. 17.

Leont. in vit. Cap. 20.

Pallad. Cap. 22.

§ IV. Verum vetus quorumdam Monachorum querimonia eſt; legumina ventoſa ſunt, caſeus ſtomachum gravat, lac capiti nocet, potum aquæ non ſuſtinet pectus, piſces de ſtagno, aut de lutoſa aqua meæ penitus complexioni non congruunt. Sed ad hæc quid reſpondet verus Aſceta? Quale eſt hoc? Ut in totis fluviis, agris, hortisque reperiri vix poteſt, quod comedas? puta te Mo-

nachum eſſe, non medium; nec de complexione judicandum, ſed de profeſsione. Parce obſecro, primum quidem quieti tuæ, parce deinde labori miniſtrantium, parce gravamini domus, parce conſcientiæ, conſcientiæ dico non tuæ, ſed alterius, illius videlicet, qui prope ſedens, & edens, quod ſibi apponitur, de tuo ſingulari jejunio murmurat. Ad hæc addi poteſt, communiter eos in menſa murmurare, qui de extrema ſæculi paupertate venerunt, aut qui nec ea, de quibus conqueruntur, in ſæculo habere potuerant, convivium itaque Monachi conſtans ex leguminibus, & oleribus melius eſt adipe victimarum, ait ſanctus Ephraim (Paren. 1.) Hinc quidam Poeta dixit: Ordo cuculatus poſſet ſatis eſſe beatus. Si biberet flumen velletque adamare legumen.

§ V. In uſu olei Patres erant parciſsimi, ubi quidpiam legitur de oleo, de eo addi ſolet „ modicum." Et quomodo non modicum? ſi quidem cuivis Anachoretæ Sextarius olei per annum ſuffecerit." Severiſsimi in corpus ſuum fugiebant oleum, tamquam incentivum libidinis, unde ſolum ſenes, vel infirmi illo utebantur.

Caſsian. colat. 19. Cap. 6.

§ VI. Præter fructus arborum varii generis, nonnulli etiam uſi ſunt lacticiniis, lacte, caſeo, & ovis. Alii ab hiſce ſimpliciter abſtinuerunt cum Ethnicis Sacerdotibus, excepto caſu infirmitatis; quia hæc de cibis lautioribus erant; cibus Monachorum etiam pulmenta erant juxta Caſsianum." De his ita decernit (Reg. Cap. 39.) ſanctus Benedictus: Sive ſemel, ſive bis comedatur, dantur duo pulmentaria, ut ſi quis non poteſt comedere unum, habeat

S. Hieron. Lib. 2. contr. Jovin.

Caſsian. Lib. 4. Inſtit. Cap. 21.

beat alterum, ſi poma aut naſcentia legumina fuerint, addatur tertium. Hæc pulmenta ſine pane erant, ut tradit ſanctus Ephraim. „ Deinde quidquid vile erat, conjiciebatur ad ollam, & coquebatur. Erant autem hæ ſpecies, olei gutta, aquæ copia, milium, aut farina, non tamen de ſiligine ad ignem appoſita." Sanctiſsimi tamen viri nec pulmenta accepiſſent unquam, niſi naturæ imbecillitas Xerophagiam eos dimittere coegiſſet. Hæc ſolum apud probatiſsimos Monachos pulmenta invexit, in quibus tamen nihil gratum, nihil quod delicatum cernebatur.

S. Ephra. Paren. 8.

Paul. Epiſt. 3. adver.

§ VII. Inter præcipua Monachorum exercitia erat abſtinere ab animatis, interque etiam piſces intelliguntur. Laudat hoc Tertullianus." A ſancto Joanne Baptiſta hoc ſtudium cœpit, ut nonnulli putant, abſit, ut carne locuſtarum ſe paverit, qui nec piſces comedit, quos de Jordane facile habere potuiſſet, juxta ſanctum Auguſtinum. „ Jacobus frater Domini ſimiliter ab omni vivente abſtinuit (Egeſippus) ſed quid hoc mirum. Id ipſum etiam fecerunt Sacerdotes Iſidis, & quidem cauſa caſtitatis." Piſces etiam inter accenſiva libidinis recenſet ſanctus Hieronymus. Eorum abſtinentia erat inter communia exercitia Monachorum (idem Epiſt. 13.) Horum primi fuerunt Eſſæi, quibus nihil cedebat in cibum, quod ſanguine vivebat. „ Sanctus Epiphanius, ſancto Hilarioni ad menſam ſuam conſtituto quidpiam de avibus allatum porrigebat, cui Senecio reponit: Ignoſce mihi Pater; quia ex quo accepi habitum iſtum, non manducavi quidpiam occiſum." Hoc

Tertull. in lib. de cultu mulierum. Cap. 9.

S. Auguſt. ſerm. 65. tem. 1.

Clem. Alexandr. Lib. 7. Strom. S. Hieron. Epiſt. 25.

Euſeb. Lib. 2. Inſt. Cap. 17.

abſti-

S.Gregor. Nyſſe. Pelag. libell. 4. Nro 15. abſtinentiæ ſtudium amplexus ſanctus Baſilius, ceſſat, inquit, apud nos coquorum ars, nec eorum culter ſanguinem attingit: Cibi apud nos optimi herbarum folia ſunt, S. Baſil. Epiſt. 2008 alias 41. cum pane aſperrimo, & vino aceſcente." Itaque plurimi licet Monachi ob ſui mortificationem a piſcibus ſe continebant, non pauci attamen iis utebantur. Qui non ſunt tantæ delicatiæ, & virtutis ad inflamandam carnis concupiſcentiam, ut caro bubulina. Hinc Syri piſces mandu- Proverb. fol. 515. cabant, ut ex ſancto Ephraim apparet." Naucratius ſancti Baſilii frater in Ponto artis piſcandi peritus ſua piſcatione alebat complures Monachos, ſenio, & egeſtate la- S.Gregor. Nyſſen. vita S. Macrinæ. borantes ad fluvium Iridem. „ Id quoque de Monachis Ægypti ex Caſsiano conſtat Lib. 4. Inſtit. Cap. 22.

§ VIII. A carnium eſu Monachi ſemper abſtinere ſolebant: Caro, & vinum propter nimium calorem, quem excitant, Monachis non eſt in uſu, ait Theodoretus ſermone de charitate. Et ſanctus Ephraim: Cave, inquit, carnis eſu, potuque vini delecteris, ne mens tua inutilis De vita ſpirit. fol. 48. reddatur ad dona ſpiritualia ſuſcipienda." Sanctus Baſilius in carnes ſingulariter invehens: Quorum, inquit, cadavera proſtrata ſunt in deſerto? Nonne eorum, qui eſum carnium flagitabant, illi donec erant contenti Manna, pane cœleſti: & aqua de petra fluente, ſuperabant Ægyptios, per mare faciebant iter, poſtea quam recordati ſunt carnium ollas, & deſiderio reverſi ſunt in Ægyptum, non viderunt terram repromiſſam, non metuis exemplum?" Pave- Homil. 1. de jejunio. runt plurimi ad exemplum iſthoc, qui quia cœleſtis ſapientiæ ſtudio, puritatisque, atque mortificationis ſummæ

car-

carnis uſum, niſi in infirmitate, non admittebant, a diſcipulis Chriſti hoc ſtudium profluxit, ait Euſebius Pamphili, qui cum eſſent pii, Philoſophicique Magiſterii adorare ſuccenſi, amplexati ſunt vitam duram, & moleſtam jejuniis, & abſtinentiam Vini, & Carnium. „ Sanctum Mathæum in cibum ſumſiſſe ſemina, olera, & acrodrya, refert ſanctus Clemens Alexandrinus." Non Monachi ſoli Apoſtolorum ſectatores, ſed etiam homines ſæculares reperti ſunt, qui ut carnem ſuam frenarent, ac delectationem, & gulam comprimerent, quæ carne, & vino ſolet rabidius, immoderatiusque raptari, teſte ſancto Auguſtino, a carnibus, & vino abſtinuerunt, ex doctrina ſancti Pauli dicentis: Bonum eſt fratres non manducare carnem, neque bibere vinum. „ Obſervandum hic Monachos non damnare carnes cum Manicheis dicentibus: Omnem carnem immudam eſſe." Eos damnant, ut Hæreticos Monachi, & dicunt cum Apoſtolo: Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem (1 Timoth. Cap. 4. v. 4. & 5.) Et ideo ſanctus Baſilius ait: Nullum cibum eſſe rejiciendum, tamquam abominandum; omnia enim mundis munda ſunt." Recte igitur quidam Monachus dixerat: „ Non ex obſervantia ſuperſtitioſa repudio eſum carnium: Omnis enim creatura Dei bona eſt; ſed quia ſcriptum eſt, non conducunt imprudeti, atque inſipienti deliciæ. Inſolentia, & immodeſtia eſt Monacho veſci carnibus." Gravis ſententia hæc, verum ſi ſacerdotes Iſidis in memoriam revocamus, qui

Euſeb. demoſt. Evang. Lib. 3. Cap. 7.

S. Clemens Lib. 2. Pedag. Cap. 1.

Rom. 14. v. 21.

S. Auguſt. Lib. 16. contr. fauſtum Cap. 31.

S. Baſil. Reg. fuſior 18.

Proverb. 19.

quod divinis, ut putabant vacaverint, ab esu carnium, ovorum, & lactis, item a potu vini abstinebant, panem raro comedentes, oleumque ad sola olera adhibentes, non puto quempiam ægre ferre posse, qui se ex asse Deo vero consecravit. Inter impedimenta Monachismi computatur apud Græcos: Non posse a carnibus abstinere, & ideo Glycys ad Patriarchatum Constantinopolitanum evectus, eum de more Monasticum prius habitum expeteret, is ei concessus non est, quod ex sententia medicorum a carnibus abstinere propter certum morbum non posset. Sic Monachismus, & carnis comestio apud Monachos repugnantia sunt."

Niceph. Græg. Lib. 7. Hist. Rom.

§ IX. Vinum Monachis in usu non est, ait Theodoretus (serm. de charitate). Et sanctus Hieronymus de cibis, & potu, inquit, Taceo, cum etiam languentes frigida aqua utantur, & coctum aliquid accepisse luxuria sit. „ Monachorum item legislator sanctus Basilius in sermone de disciplina Ascetica: Quomodo Monachum ornari oporteat, ita præcepit: ante omnia oportet abstinere Monachum a congressu mulierum, & a vini potu: quoniam vinum, & mulieres appostatare faciunt sapientes: & calor ex vino proveniens accendit ignita jacula inimici, vinum enim rationem submergit, & mentem, itemque cupiditates ac voluptates inflamat, perinde atque oleum flamam accedendi."

S. Hieron. Epist. 22.

S. Basil. in caput S. Isaiæ.

§ X. Attamen Monachi veteres, etiam ne pro Manicheis, aliisque Hæreticis haberentur (qui vinum ex natura censebant abominabile) certis de causis id subinde

bibe-

bibebant. Causa præcipua fuit necessitas, ac infirma valetudo: Apostolus Tumotheo modico præcipit uti vino, & hoc propter dolorem stomachi, & propter ejus frequentissimas infirmitates (ait sanctus Basilius admonitio: ad filium spir. Tom. 2. pag. 87.) Causa igitur valetudinis sumendum est vinum: Verum respui non debet, si causa valetudinis sumatur." Quod si ultra necessitatis articulum bibatur, est fomes libidinis, seminarium voluptatum, juventutis pestis, probrum senectutis, Fæminarum dedecus, insaniæ nutrix, mater petulantiæ, venenum animæ, mentis interitus, virtutum effugatio. „In vino ergo luxuria, in „ vino insania, in vino venenum, pestis, & mors est."

S. Basil. Instit. Monast. serm. 1. Tom. 2. pag. 169. Col. 1. Nro 4.

S. Greg. Nicephor. hom. 2. in Eccles.

CAPUT IV.

De Habitu Monastico.

§ I.

Sanctus Basilius ad Actus Apostolorum alludens, inquit: Cum plures ad eundem salutis scopum intenti, communem inter se vitam amplexi fuerint, id inter ipsos ante omnia optineat necesse est, ut unum in omnibus sit cor, & voluntas una, unumque desiderium, atque ex Apostoli præcepto omne conventus agmen efficiatur unum corpus ex diversis membris coagmentatum. Hoc autem aliter fieri non potest, nisi optinuerit hæc consuetudo, ut nihil nominatim, nec peculiariter cuiquam tribuatur, neque vestimentum, neque vas, neque quidpiam aliud ex iis, quæ conducunt vitæ communi, ut singula usibus necessariis,

non autem poſſeſſoribus deſtinentur. Et ſicut veſtimentum parvum corpori majori, aut majus parvo non convenit, ſed quidquid cuique accomodatum, id utile eſt, & commodum: Ita etiam alia omnia, lectus, ſtragula, calidum veſtimentum, calceamentum ejus, qui his valde indiget, debent eſſe, non poſsidentis. Quemadmodum enim, qui vulneratus eſt, non qui ſanus eſt, medicamento utitur: ſic etiam iis, quæ ad ſublevandum corpus excogitata ſunt, perfruatur, non qui delicate vivit, ſed is, cui levamen opus eſt." Ea propter idem decernit, ut unum omnibus ſit commune veſtiarium, ſeu repoſitorium, quod ille Apothecam vocat, ne quid proprium cujusvis nominetur, non veſtimentum, non calceamentum, non quidvis aliud, quod ad neceſſarium corporis uſum pertineat, ſed uſus ſit penes Prælatum ita, ut quod cuique convenit, id ex communibus tribuatur, juxta moderatoris præceptum. „ Detritæ veſtes veſtiario illatæ ad placitum ſuperioris dabantur egentibus, quod privato nemini facere licet: dare enim, & accipere non cujusvis eſt, ſed ejus, qui diſpenſationem ſibi commiſſam habet, proinde ſive vetus, ſive novum veſtimentum fuerit, hic, id eſt ſuperior habita ratione temporis cujusque, & dabit, & recipit." Etiam ſi nudus fuerit, qui petit, jam ſemel dictum eſt, quod dare, aut accipere non cujusvis ſit, ſed ejus cui talis diſpenſatio commiſſa eſt, obſervatur autem illud: unus quisque in quo vocatus eſt, in hoc maneat." Quod ſi quis privatim pauperi aliquid largiatur, eum tamquam corruptorem — — — boni ordinis vult ſanctus Baſilius caſtigari." Eleemo-

S. Baſil. ſerm. 2. de Inſtit. Monaſt. ſeu Aſcet. ſub Init.

S. Baſil. ſerm. 1. Aſcet. Tom. 2. pag. 169.

S. Baſil. Reg. brev. 88.

1. Corint. 7. v. 24. Reg. brev. 91.

S. Baſil. Reg. brev. 100.

mosinam, quæ Laicum salvat, Monachum privatum condemnat.

§ II. Principio Clerici, & Monachi cum omni populo Christiano gaudebant veste candida, congruenter scripturæ sacræ dicenti; omni tempore sint vestimenta tua candida." Ecclesiastes Cap. 9. v. 8. Ad quem locum sanctus Hieronymus ait: Candidis vestibus ornatus incede, interna letitia de redemptione Christi populo Christiano suadere potuit amictum candidum: Nam teste Josepho, vestitus albus letantium est. „ Unde & Angeli post resurectionem Domini ad sepulchrum in albis confedisse leguntur, (Joan. 10.) Quæ ergo causa, quod Monachi habitu albo deposito, nigrum assumserint communiter adeo, ut habitus niger Monachismi Tessera quondam extiterit, id tribus potissimum de causis factum est. 1. Quia veteres Philosophi incedebant in tunicis, & palliis nigris, traxeruntque Monachos in immitationem sui, si quidem vita Monastica olim habita est pro vita vere Philosophica, ut alias dictum, hinc illud scoma vulgi apud sanctum Hieronymum, si tunica non canduerit, Græcus hoc est Philosophus, & Impostor est." 2. Quia lugentes, & pœnitentes in Ecclesia semper pullis indumentis vestiri solebant, idcirco etiam Monachi, ut illis adnumerentur, nigrum habitum præ albo gestare maluerunt, certe sanctus Cyprianus lugentium vestes atras fuisse scribit (Lib. de Mor.) Et sanctus Basilius eundem habitum esse dicit Monachorum, ac pœnitentius. „ 3. Quia color niger accomodatior est pro lugentibus, ac pœnitentibus præcæteris, & has ob causas pullus color apud Monachos sic invaluit

Josephus Lib. 2. Antiq. Cap. ultimo.

S. Hiero Epist. 34.

S. Basil. Epist. 1. ad Gregor.

olim, ut eſſet indicium Monachismi, & Monachi quoque inde dicerentur pullati (Concil. Conſtantin. A. D. 692. Canone 42.)

§ III. Nigrum habitum juxta opinionem Baronii A. D. 57. Clerus Sæcularis aſſumpſit poſt modum a Monachis, cum enim Monachi paſsim ſacros Ordines reciperent, & allegarentur in Clerum, & Epiſcopos, ubi Canones ſacri eis prohibebant mutationem habitus, qui tunc niger erat, ut habetur in Concilio VIII. A. D. 869. Nullus audeat ſuum illum habitum, & Stolam Monaſticorum indumentorum ſuperbe, & temere deponere, ne profeſsionis ſuæ prævaricator inveniatur. Quod ſi quis Epiſcopus Monaſticam veſtem abjecerit, vel corrigatur, vel deponatur. Cum tot igitur in Clero Monachi eſſent, nigris induti veſtibus, reliqui facile eos ſecuti ſunt.

§ IV. Sanctus Baſilius non ſolum in cibis, ſed in veſtimentis præſcribit obſervandum vilitatem, ſimplicitatem, & quod leviſsimi precii eſt." Et in Calceamentis caveatur vanitas, & precium (ibidem). Atque iterum Conſtitutionum C. 30. Veſtimenta, ait, aut Calceamenta precioſa nobis exquirenda non ſunt, ſed eligenda viliora, & in hac re etiam humilitatem oſtendamus &c. Unus enim veſtimenti ſcopus, ut idoneum ſit carnis operimentum." Tunica cingulo ad corpus adſtricta ſit (ibidem) Ideo proinde ait: Fratres non debent contendere, quod dentur veſtes viliores, aut non novæ, ſi tamen præbeantur minores, aut majores eos poſſe neceſsitatem ſuam decenti manſuetudine manifeſtare." Quæ ita ſonat; ſi minus, aut

S. Baſil. Reg. fuſior. 22.

S. Baſil. Epiſt. 1. ad Gregor.

S. Baſil. Reg. brev. 168.

ma-

majus (veſtimentum) quam pro ſtatura eſt, indicet neceſſitatem ſuam debita cum modeſtia: ſi autem diſsidium fuerit de vilitate, vel proptera, quod non novum ſit, recordetur Domini dicentis: dignus eſt non ſimpliciter quivis, ſed operarius cibo ſuo. „ Percontetur autem ſe ipſe, an pro dignitate mandatorum Domini, aut promiſſionem effecerit quidquam, & tunc non requiret aliud, ſed futurus eſt de eo, quod datum fuit, ſolicitus velut, qui ultra meritum acceperit. Nam quod dictum eſt, de alimento, id in omni re ad corporis uſum attinente, loco regulæ habendum eſt. Math. 10. v. 10.

§ V. Sancti Patres cultum veſtium abundantiorem ſemper damnabant, non ſit nobilis habitus veſter, nec affectetis veſtibus placere, ſed moribus, ait ſanctus Auguſtinus in Reg. Et ſanctus Ephraim inter mala hujus vitæ numerat mollem lectum, & veſtem (de variis tormentis inferni). Et noli veſtium ſplendido ornatu gloriari, memor quomodo Elias ovinis pellibus fuerit indutus, & ſacco Eſaias, quali item Joannes Baptiſta veſtimento uſus ſit (idem ſanctus Ephraim de vita Spirit.) Et ſanctus Baſilius Monacho lapſo exprobrat: quo pacto olim in Monaſterio vixerit, aſpero indutus ſacco, & dura Zona lumbos ſuccinctus, ventre præabſtinentia dorſo adhærente, rejecto omnni indumento molliore." Ore omnium antiquorum Monachorum ſanctus Barlaam ad Regem Indiæ, ait: Veſtes nobis ex aſperis ciliciis, & ovium pellibus ſunt, vetuſtæ omnes, atque ex variis pannis conſſutæ imbecillam noſtram carnem atterentes (ſanctus Damaſcen. vit. Barla. S. Baſil. Epiſt. 2. ad lapſum.

§ VI.

§ VI. Tametsi autem sancti Patres præcipiant non debere molliciem, & elegantiam vestium quærere, & satius esse veteres ferre vestes, ut sanctus Ephraim docet, & curam habere animæ in timore Domini, quam splendide vestiri, & turpiter, atque inhoneste vivere: Verum tamen eas noluerunt esse sordidas, & immundas. Sancti Chrysostomi temporibus Monachi quamvis portaverunt habitum rusticorum, amictum viliorem, caverunt tamen sordes, (de Monachis sancti Apolonii Ruffinus refert) quod nullus ipsorum sordidis vestibus usus fuerit, sed potius tam in mente, quam in veste mundiciem exhibuerint." Certe sanctus Antonius mundiciæ causa lavit ipse suam ependiten." Denique de sanctorum Patrum sententia, Monachorum vestes debent esse humiles, & accommodatæ tempori, loco, personæ, necessitati, ut ait sanctus Basilius non molles, non sumptuosæ, vel splendidæ, non sordidæ, sed mundæ. Reg. ita sonat: Unus (amictus) ad proprium scopum honeste, ac decenter accomodatus, habita ratione temporis, loci, personæ, atque necessitatis. Non enim eadem integumenta ratio comprobat tempore hyemis, ac æstatis: Neque idem est habitus operarii, & quiescentis, famuli, & ejus, cui famulatur, militis, & privati viri, & mulieris.

Ruffin. Lib. 2. vit. P.P. Cap. 7. vit. S. Anton. Cap. 23.

S. Basil. Reg. 210. brev. ita.

§ VII. Sancti Basilii, quem Chorus Monachorum in Oriente tamquam solem suum, ac fundatorem adorat, regulæ & instituta Monastica certum habitum non præscribunt, quo tamen ejus assectæ, atque ipse etiam sit usus ejus verba non obscure indicunt. Arbitrabar, inquit, satis ma-

magna esse argumenta humilitatis vestimentum crassum, & Zonam, & e crudo corio calceamenta. „Simplex & plane Philosophicus habitus, & valde discretus consulens Monasticæ paupertati, quem describit sanctus Dorotheus. „Habitus, inquit, quem gestamus colobium est, quod caret manicis, & Zona pellicea, & analibus, & cuculus. Hæc sunt Symbola, quidque nobis hæc corporis nostri symbola significent, intelligere debemus. Cur gestamus colobium manicis destitutum? Manicæ symbola sunt manuum, manus autem sumuntur pro agendi facultate; quando igitur occurrit nobis cogitatio agendi quidpiam manibus hominis antiqui, ut puta furandi, aut verberandi, vel absolute quodvis aliud peccatum manibus patrandi, ad habitum attendere debemus, ac intelligere nos non habere manicas, id est carere manibus ad operandum quidpiam; quod sit hominis antiqui. Habemus autem & Zonam. Sed cur illam gestamus? Zona, quam gerimus primum quidem signum est, nos ad opus esse paratos. Quilibet enim eum vult operari, primum accingitur, & sic opus aggreditur, juxta illud: sint lumbi vestri præcincti." Item, ut quemadmodum Zona est de corpore mortuo, ita & nos concupiscentiam nostram mortificemus, Zona enim lumbis nostris adhibetur, ibi autem sunt renes, in quibusvis animæ concupiscibilis esse sita dicitur. Atque hoc est, quod ait Apostolus: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immundiciem, & quæ sequuntur. Habemus autem Analabum (seu scapulare) hic Analabus in modum crucis ponitur, super humeros nostros, id est, signum cru-

S. Basil. Epist. 223. alias 79.

S.Doroth. Instit. 1. de abnegat. seculi.

Luca 12.

Math. 16. v. 24. cis geſtamus in humeris noſtris juxta illud: Tolle crucem tuam, & ſequere me. „Quid vero crux eſt aliud, quam perfecta mortificatio, quæ perficitur a nobis per fidem Chriſti? Fidem enim (ut iterum in libro Seniorum dicitur) arcet ſemper impedimenta, & liberam nobis reddit operationem, quæ ad perfectam iſtius mundi mortificationem nos deducit, ſcilicet, ut ſe ipſum quis mortificet ab omnibus, quæ ſunt mundi hujus, ut ſi parentes expugnet pariter & affectum eodem modo abdicaverit, quis pecunias, vel poſſeſsiones, aut aliam rem quampiam velit etiam affectui ejus renuntiare. Aſſumimus autem cuculum, quod eſt ſymbolum humilitatis. Infantes enim parvuli, ac innocentes cucullos geſtant. Nos igitur idcirco cucullum gerimus, ut malitia parvuli ſimus, quemadmodum Apoſtolus ait: „Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote." Quid autem eſt parvulum eſſe malitia? Parvulus, qui non habet malitiam, ſi ſpernatur, non iraſcitur, etſi honoretur, haud effertur in gloriam vanam, non ſuperbit, ſi quis res ejus acceperit, minime affligitur, parvulus enim malitia eſt, non ulciſcitur injuriam, non affectat gloriam. Eſt enim cucullus divinæ gratiæ ſymbolum, quoniam quemadmodum cucullus tegit, ac fovet parvuli caput: ita & Dei gratia mentem noſtram tuetur: (ſicut dicitur in libro Seniorum) quoniam cucullus eſt ſignum gratiæ Salvatoris noſtri Dei, mentem noſtram protegentis, & infantiam noſtram, quæ in Chriſto eſt circumfoventis propter Dæmones, qui nos ſemper percutere, ac vulnerare conantur.

Apoſtolus 1. Cor. 14. v. 40.

§ VIII.

§ VIII. Cæterum ſcire oportet apud antiquos quoque Monachos erat in habitu diverſitas, apud quos major cura virtutum, quam indumentorum fuit, veſtitum tribuebat, aut paupertas, aut fidelium charitas, aut natura. Multis pili corporis pro veſtimentis erant. Multi variis animalium pellibus nuditatem tegebant, non pauci incedebant nudi, adeoque nonniſi aëre, cœlo, antris, ſepulchris, aut ferreis vinculis obtecti. Plurimi per ſolitudines diverſas errabant, veſtiti tam vilibus centonibus, quos nec Laſarus ante fores divitis collegiſſet. Prout quisque poterat, ſuam carnem velabat. In congregationibus quamvis varietas tanta non fuerat, quæ tamen ab aliis non dependebant, ex arbitrio Abbatis ſe veſtiebant. Hinc alii ferebant lebetam, ſeu colubum, alii non, alii habebant cruciferum analabum, ſeu redimiculum, aut ſcapulare, alii non; hic uſus erat melote, alibi non. Sanctus Benedictus ſuos juſsit obſervare loci qualitatem, & in loco frigido conceſſit cucullam in hyeme viloſam, pedules, & galigas, & pro itinerantibus fœmoralia, quæ Monachis aliis non erant." S. Bened. Reg. Cap. 55.

§ IX. Cilicina veſtis conficitur ex pilis, cujus uſus ſua tempora habet, inquit ſanctus Baſilius. „ Non enim temporalis neceſsitatis gratia ejus uſus eſt, ſed afflictionis, & humiliationis animæ. Unde ſanctus hic Pater cilicium noctibus portare ſolebat, ne id ab aliis adverteretur." Alii contra longiorem ſomnum, & noctium fantasmata ciliciis indormiebant. Alii de die portabant, ſed ſubtus veſtes, quem uſum non reprobat Caſsianus exemplo Re- S. Baſil. Reg. brev. 90. S.Gregor. Naſianſen. Orat. fun.

Casian. 4. Reg. Cap. 6. v. 30. gis Jóram." Sanctique Antonii, plurimorumque Monachorum, in quorum persona sanctus Barlaam ait: Vestes nobis ex asperis ciliciis sunt, & ovium pellibus (sanctus Damasc. vit. S. Barlaam Cap. 18.)

§ X. In veste, cibo, & potu suos subalternos Monachos nullatenus excedere debeant, sed uniformitatem omnimode servare tenentur Rectores, seu Superiores Religiosarum communitatum. Rectorem te posuerunt? Nolli extolli, esto in illis, quasi unus ex ipsis, dicit Scriptura sacra." Primi Monachorum Superiores jurejurando firmaverunt, se neque veste, neque cultu ullo communitatem suam superaturos." Nihil ita conciliat amorem apud subditos (sanctus Augustinus serm. 50. de divers.) de suo vestitu ait: Qualem potest habere Præsbyter (vestem) qualem potest habere decenter Diaconus, & Subdiaconus, talem volo accipere, quia in commune accipio. Si quis meliorem dederit, vendo, quod & facere soleo, & quando non potest vestis esse communis, precium vestis sit commune. Vendo, & erogo pauperibus; si hoc eum delectat, ut ego habeam talem, det, unde non erubescam; fateor enim vobis, de pretiosa veste erubesco; quia non decet hanc professionem, hanc admonitionem, hæc membra, hos canos. Audiant Superiores Monachorum. Augustinus Episcopus erubescit de veste pretiosa tamquam conraria suæ professioni, nec alia indui vult, quam quali utebantur Clerici sui. Si etiam dono offerebatur melior, distraxit, & pretium erogavit pauperibus. (De sancto Joanne Eleemosinario Alexandrino Patriarcha ex Monacho refert

Ecclesiastes Cap. 32. v. 1.

Porphir. Lib. 4. abstin.

Leon-

Leontius in vita). Hic in infimo ſtrato recumbere ſolebat, & vilibus operimentis operiebatur, cui quidam e civibus transmiſit coopertorium numismatum 36. enixe rogans, ut eo cooperiretur. Ille vero hoc ſuſcipiens una nocte eodem coopertus eſt; verum tamen toto hoc noctis tempere ad ſe ipſum dicebat. Quis dicet, quod humilis Joannes pallio 36. numismatum tegatur, & fratres Chriſti frigore necentur? quanti ſunt modo, qui pſyathium habentes ſubtus dimidium, & ſupra dimidium, & non poſſunt extendere pedes ſuos, & dentibus ſtrident præfrigore? quanti in monte dormierunt incœnati, habentes duplicem cruciatum tam ex frigore, quam ex jejunio, quanti ſunt in hac civitate, iſta hora peregrini, non habentes ubi hoſpitentur, & in foro jacent, & pluvia madefacti? quanti ſunt, qui non habent veſtimentum in æſtate, & alterum in hyeme, & ita miſeriis affliguntur? Tu vero expectas etiam æternam jucunditatem aſſequi, & vinum bibis, & piſces immanes devoras, & in cubilibus demoraris: modo autem cum omnibus malis, & in coopertorio 36. numismatum te calefacis? Veraciter ita vivens, & in tali laxatione converſans, non expectabis illic præparatis gaudiis frui, ſed audies utique, quod, & dives ille audivit: Recepiſti bona in vita tua, pauperes vero mala: Nunc ergo conſolantur, tu vero criciaris, benedictus Deus, humillis Joannes alia nocte non cooperietur illo: juſtum eſt enim & bene acceptum Deo, ut tegantur potius 144. fratres, & Domini tui, quam tu infelix, mox ergo transmiſit illud, ut venum daretur. Magnum ſpeculum in hoc exemplo eſt, multi ex

hoc ſuos mores formaverunt, & vilitatem veſtimentorum dilexerunt.

§ XI. Multi magni nominis Abbates in habitu nihil ſplendidum, nihil a ſuis fratribus habuerunt ſingulare, eadem materia, & eadem compoſitio erat, nec erubeſcebant de cuculis, & caputiis, etſi irridentur a mundanis, gnari tanto pretioſiorem coram Deo veſtem eſſe, quanto contemptibilior eſt coram mundi hujus hominibus. Atque hinc antiqui ſuas cuculas præcæteris veſtimentis magni fecerunt, quia majorem præferunt humilitatem, eas proinde ſolebant appellare rem, & indumenti genus pretioſum (vita ſancti Stephani junioris.) Cucula ſancti Simeonis ſtylitæ curabat omnia mala, quam Imperatori dono miſit (Metaphr. vit. ſancti Danielis) Theodoſius Cæſar paliollo ſancti Senulphi, caput, & baculo manus armans in bello adeo terribilis hoſtibus eſt viſus, ut illico fugam inierint (Methaphraſtes vita ſancti Syri, & Joannis Januari 31.)

CAPUT V.

De Tonſura Monachorum.

§ I.

Monaſtica tonſura non eſt novum inventum, ſed a prima Monachorum inſtitutione ſemper in more fuit. Id teſtatur Author lib. de Eccleſ. hier. Cap. 6. ſub nomine Dionyſii Areopagitæ. Sic tondebantur ex regula diſcipuli ſancti Pachomii, ſic reliqui omnes. De Daniele ſtylita

Me-

Metaphrastes ait: „Et cum ei præfectus legisset regulam, & totondisset capillos, eum Monastico habitu induit: sancto Stephano juniori Gregorius quidam dixit: Deo proinde rationem reddes, nisi me hodierna die incunctanter detonsum in Monachorum ordinem adscribas (in vita sancti Stephani junioris) Hinc antiquitus idem fuit dicere Monachum fieri, & in Monachum tonderi. Et sanctus Augustinus ea proeodem sumit: Capillos minuere, & habitum Religionis assumere. „Originem tonsura accepit a Nazaræis, ut docet sanctus Isidorus." Et apertum Concilii Niceni præceptum est, ut tam Monachi, quam Moniales alia indumenta, & alios mores habeant, quam Laici, & tondeant caput (Canon. 76.) Tondere autem est medium abscindere, ait sanctus Paulinus, (Epistola 3. ad Sever.) juxta Euchologium Græcum forfices Evangelio a superiore impositæ ipse sibi a Monacho vestiendo dari postulat, easque acceptas confestim tradit, a quo usque tertio altari, & Evangelio reponuntur, ut liberum voluntatis propositum manifestet, ut exponit Simeon Thesalonicensis, quo vero fine tondeantur Monachi, exponit Dionysius Areopagita (Cap. 6. de Ecclef. Hierarch.) Signum autem crucis declarat universorum ad corpus pertinentium defectus, capillus autem tonsus puram nullaque figura fœdatum vitam indicat, quæ non fictarum figurarum, aut colorum induitione disformitatem mentis ornet, sed quæ ipsa in se ipsa non humana, & addititia pulchritudine, verum singulari, & unica ad Dei exactissimam similitudinem exercetur. Addunt alii lugubrem pœnitentiæ statum detonsionem

S. August. serm. 67. temp.

S. Isidor. Lib. 2. de Eccles. offic. Cap. 4.

hanc

hanc oſtendere: Nam & propter crimen in Monaſterium detruſus comam abjiciebat, & lugentes quique calvitio triſtitiam indicabant, Dei ſe ſe obſequio Mancipantes ſervorum more capita raſiſſe. Simeon vero Theſalonicienſis de Monacho tonſo ſcribens, ait: Per depoſitionem, & tonſuram capillorum corporis primitias Domino offert, quia totus præſentatur, & Chriſto conſecratur, & cuncta, quæ in mundo ſunt veluti ſuperflua abdicat.

§ II. Tonſus cruciformiter coram altari a Superiore Monachus ab alio ex integro tondetur, & confeſtim ad altare regreſſus, inquit Simeon, capillos altari impoſitos reliuquit; oſtenditque illos primitiarum locum tenere, & Deo fieri oblationem, ſicut & ipſe totus oblatus eſt, & viva, & placita hoſtia effectus, ex nde vero capilli accepti comburi ſolent: quamvis nonnulli ex illis Zonas ſibi plectant. Poſt ſolemnem hanc in Eccleſia detonſionem, nullam de cætero ſibi permittunt fieri. Barbam autem, nec unus quidem detondere audeat. Id utrumque uno loco ſcribit Epiphanius, loquens de Meſſalianorum hæreſi, & approbata promiſſa barba longam in Monacho Cæſariam condemnat; & ab Eccleſiæ Catholicæ, inquit, & ab Apoſtolorum doctrina prorſus alienum, cilicium palam præſeferre, ac comam ſubmittere. Vir enim, inquit Apoſtolus, comam nutrire non debet: cum imago Dei ſit, & gloria, atqui quod ad barbam attinet in Apoſtolorum conſtitutionibus, divino ſermone, ac dogmate præſcribitur, ne ea corrumpatur, hoc eſt, ne tonſione ponatur. (vide Jacob. Goar. pag. 397. edition. Venet. A. 1730.) Qui proinde tonſuram capillorum

non

non faciunt, ſed tamquam mulieres in fronte dividunt, ſancto Paulo adverſantur dicenti: Vir ſi comam nutriat, ignominia eſt illi." Vaniſsimum hoc capillaturæ ſtudium coegit Patres in ſexto Concilio Oecumenico decernere; qui dicuntur Eremitæ, & circumeunt Urbes in longis crinibus, verſantes cum Laicis, & mulieribus, propriam profeſsionem injuria afficientes, reciſsis crinibus habitum cæterorum Monachorum ſuſcipiant, & in Monaſteria conjiciantur. Quod ſi nolint, ex Urbibus, in ſolitudines pellantur (Canon. 42.) Et ipſemet Apoſtolus Paulus ſolebat tondere capillos ſuos (Actor. 18. v. 18.)

S. Paulus 1. Cor. 11. v. 14.

§ III. Symbolum virilitatis barba eſt, ut res ipſa loquitur, dicitque, ſanctus Baſilius: „Barba ſignificat fortes, alacres (ſanctus Auguſtinus enarrat Pſal. 132. Et ſanctus Clemens Lib. 3. Pedag. Cap. 11.) Barba inquit gravitatem vultui, auctoritatemque, & naturalem reverentiam concedit; & multos a peccando retrahit, cum probro eſſe poſsit, barbatum audere delinquere. Hac de cauſa graviter invehitur in eos, qui barbas radunt, quos appellat crinium hoſtes, homines læves, virilis pulchritudinis oſores. Cum enim inquit natura viri ſimus, quomodo non contra naturam peccas, ſi radaris? læve Deus fœminam condidit, ſola coma ornatam, ut equum juba: Virum autem, ut Leonem barba ornavit, pectusque dedit hirſſutum, per quod, & robur ejus, & Imperium ſignificavit. Barba ergo viri indicium eſt, meliorisque naturæ &c. Hinc ſanctus Euthimius cum fundaſſet ſuam lauram pro centum quinquaginta Monachis, nullum admiſit, niſi cu-

S. Baſil. in Cap. 7. Iſaiæ prope finem.

Metaph. in vit. S. Quiriaci. jus vultus inſigni barba dumeſceret." Clerus Orientalis barbam alere ſolet ad exemplum ſancti Pauli Apoſtoli, quem prolixam habuiſſe barbam traditur. In partibus Occidentalibus tam inter Clericos, quam inter Monachos conſuetudo diverſa fuit in barbis. Quidam nutriebant, alii tondebant, alii radebant. Nihil hæc diverſitas Eccleſiæ nocet, ſcimus, inquit V. Beda. Quia neque Apoſtoli uno eodemque modo attonſi ſunt, neque nunc Eccleſia Catholica indiſsimili per totum orbem tonſuræ forma congruit, dum modo eadem charitas omnium ſit. Et in barbis, & capillis non eſt ponenda ſanctitas.

Levit. Cap. 19. v. 27. Levit. Cap. 21. v. 5. Epiſtola S. Paulini 3. ad Sever. § IV. Dicebatur quidem antiquis: neque in rotundam attondebitis caput, nec radetis barbam. „Et Sacerdotes non radebunt caput, & barbam." Quia degebant ſub umbra, & velamento bonorum futurorum, debebantque diſtingui a vicinis Sacerdotibus Iſidis raſis." Naſaræi quamdiu conſecrati erant, comam, quæ ſignificabat caſtitatem, & parſimoniam nutriebant. Similiter & Prophetæ a longis crinibus agnoſcebantur. In lege proinde veteri omnia crinita erant. In lege vero nova communiter dicitur tondemini, ablatum eſt enim velamen a nobis, & verſamur ſub luce bonorum priſcis abſconditorum, ut jam pro ignominia habeatur juxta doctrinam Pauli Apoſtoli comam nutrire." Hinc & ipſe tonſus erat, ut alias dictum, ſimiliter & ſanctus Petrus, & Antiquiſsima lex eſt Aniceti Pappæ: Prohibetæ fratres per univerſas Regionum veſtrarum Eccleſias, ut Clerici juxta Apoſtolum comam non nutriant, ſed de ſuper caput in modum ſphęræ radant (Cap.

Paulus Apoſto. 1. Corinth. 11. v. 14.

pro-

prohibete diſtin. 23.) Tonſuram eſſe, ait Iſidorus Hiſpalenſis, cum ſuperne detonſo capite inſtar circuli corona relinquitur, non quidem in ſignum pœnitentiæ, & luctus, ut Monachi, ſed Regiæ poteſtatis, ſummæque perfectionis, quæ exigit, ut ab anima ſublimis officii cuncta ſuperflua penitus reſecentur, qua de cauſa magna ex parte capitis radebantur Epiſcopi, ut demonſtrat ſanctus Gregorius Naſianſenus (Orat. in maximum.)

§ V. Sub tonſura Monaſtica ſolent mutari nomina, nec mirum, Chriſtus ipſe cum Simonenem ad Religioſisſimam ſuam diſciplinam ſuſciperet, eum Cepham, hoc eſt Petrum nominavit, & filios Zebedæi Boanerges. Alexius Comnemus, (ait Nicetas Choniat. Lib. 3. anal.) Chriſtianum Pallium, nempe habitum Monaſticum invitus induit, & precibus, quæ ſuper eo peragebantur, ne ſummis quidem auribus admiſsis, tandem radi ſe, & Athanaſium appellare paſſus eſt; Idem de Andronico ſeniori Nicephorus Gregoras: „Invitum, inquit, tondent, & cuculo induunt, atque Antonium nominant.“ Mutationis autem nominum diverſæ cauſæ ſunt; ſummi Pontifices nomina poſt electionem illico commutant, quaſi jam divinioris, quam antea ſint naturæ, & planiſsime commutati.“ Sanctus Dionyſius Alexandrinus generatim tradit, cur hoc, aut illud nomen imponatur, dicens: Plures, credo, fuiſſe tempore ſancti Joannis Evangeliſtæ, qui hoc ſibi nomen deſumſerunt, vel ob ejus amorem, aut reverentiam, velut ipſum ſectarentur, volentes ſcilicet eodem modo a Do-

Nicephor. Gregoras Lib. 9. Hiſt.

Leonicius Lib. 6. Hiſt.

Euſebius Lib. 7. Hiſt. Eccleſ. Cap. 25.

mino diligi: ſicut modo infantes Petros, & Paulos paſsim nominamus."

§ VI. Sancti Patres tonſuram, ac profeſsionem Monaſticam comparant Baptismo: Nam idem utrobique propoſitum, eadem abrenuntiatio mundi, carnis, & Satanæ, conſequenter etiam nomen, ſuſcipiens Monachismum conſequitur novum. Theodorum ſtuditam in extremo agone hæc verba pronuntiaſſe Baronius refert: „ Confiteor Monaſticum ſtatum ſublimem eſſe, & Excelſum, & Angelicum, qui & peccata omnia expurget abſoluta vitæ perfectione narrat & Joannes Subdiaconus." Fuit magnus inter prævidentes, ſeu Seniores, hic affirmabat, quia virtutem, quam vidi ſtare ſuper Baptisma, vidi etiam ſuper veſtimentum Monachi, quando accepit habitum ſpiritualem. Denique ſanctus Hieronymus imperterite docet Baptismum a profeſsione Monaſtica in eo differre, quod is præcedat tempore, nunc inquit ad ſanctam Demetriadem Virginem, quia ſeculum relinquiſti, & ſecundo poſt Baptismum gradu, iniiſti pactum cum adverſario tuo, dicens ei, renuntio tibi Diabole, & ſeculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis, ſerva fœdus, quod pepegiſti. Item ad S. Paulam de obitu filiæ Monialis Blæſilæ." Revera inquit ſi ſeculare deſiderium (quod Deus a ſuis avertat) & delitias hujus vitæ cogitantem mors immatura rapuiſſet, plangenda erat: Nunc vero cum propitio Chriſto ante quatuor fere menſes, ſecundo quodam modo ſe propoſito Baptismi laverit, & ita deinceps vixerit, ut calcato mundo ſemper Monaſterium cogitaverit, non vereris, ne tibi Salvator

Baronius A. D. 826.

Joannes Subdiac. Lib. 1. Nro 5. Tom. 12. A. D. 1004. ex codice Caſsian.

S. Hieron. Epiſt. 8.

Item Epiſt. 25. ad S. Paulam de obitu filiæ Monialis Blæſilæ.

vator dicat: Irafceris Paula, quia filia tua facta eft filia mea? Vere enim deletis priftinis peccatis, ac pœnis æque in profefsione, ac Baptismo in filios Dei adoptamur. De fancto Antonio memorat fanctus Athanafius: Hora circiter nona cum ante cubitum orare cepiffet, raptum fe fenfit in Spiritu, & ab Angelis in fublime deferri. Prohibentibus tranfitum aëris Dæmonibus, cœperunt Angeli contradicentes requirere, quæ effet caufa retinendi nullis exiftentibus in Antonio criminibus: Illis vero ab exordio nativitatis replicare peccata nitentibus calumniofa Angeli ora clauferunt, dicentes, non debere eos a nativitate ejus delicta narrare, quæ jam Chrifti effent bonitate fopita: Si quæ autem fcirent ex eo tempore quo factus effet Monachus, & Deo fe confecraffet licere proferri.

§ VII. Id clarius exponit fanctus Bernardus: Audire, inquit, & hoc vultis a me, unde præter cætera pœnitentiæ inftituta Monafterialis difciplina meruerit hanc prærogativam, ut fecundum Baptisma nuncupetur. Arbitror ob perfectam mundi renuntiationem, ac fingularem excellentiam vitæ fpiritualis, qua præeminens univerfis humanæ vitæ generis, hujusmodi converfatio profeffores, & amatores fuos Angelis fimiles, disfimiles hominibus facit: imo divinam in homine format imaginem, configurans nos Chrifto inftar baptismi, & quafi denique fecundo Baptifamur, dum per id, quod mortificamus membra noftra, quæ funt fuper terram, rurfum Chriftum indicimus complantati denuo fimilitudini mortis ejus. Sed & quomodo in Baptismo eruimur de poteftate tenebrarum, & in Regnum transfe-

rimur charitatis æternæ, ita, & in sancti hujus secunda quadam regeneratione propositi de tenebris æque non unius originalis, sed multorum actualium delictorum in lumen
S. Bernard. Lib. de præcep. & dispen. virtutum evadimus, redaptantes nobis illud Apostoli: nox præcessit, dies autem appropinguavit.

CAPUT VI.

De Patientia.

§ I.

Monasteria Scholæ sunt patientiæ, in quibus a mane usque ad vesperam Religiosus nihil expectare debet aliud, quam vexationes, ac molestias: quas bonus Athleta patienter suffert: „ Beatus, qui propter Deum quotidie „ maledictis, & convitiis lacessitus vim sibi fecerit, ait sanctus Climacus, hic enim cum Martyribus tripudiat, &
S.Climac. grad. 4. „ Angelis parem confidentiam, & gloriam merebitur." Beatus Monachus, qui se ipsum omni ignominia, omnique abjectione dignum horis singulis existimat; Beatus, qui voluntatem suam ad finem usque mortificat, suique ipsius curam omnem, atque diligentiam Magistro spirituali commisit, nam ad crucifixi dexteram constituetur.

§ II. Perfectus patiens sicut lapis est secundum effa-
S. Anton. Paschas. Cap. 9. Nro 3. vit. P.P. tum sancti Antonii, initium bonæ tollerantiæ secundum Climacum est, in amaritudine, & dolore animæ ignominias suscipere; medium vero eas tollerare sine merore: finis autem, & consumatio summam illas laudem existimare,

gau-

gaudeas prior, valeas secunde; sed tu felix, ac beatus tertius, quippe qui in Domino exultas (grad. 8.) tollerantia ergo suos gradus, & spatia habet. Orare pro eo, qui te contristavit; patientia est: illum insuper muneribus afficere, major patientia est. Denique ad mensam eum perducere, adhuc perfectior patientia est; At cum cognita aliqua calamitate, sive corporali, sive spirituali, quasi ipse eam perpessus fueris, ita te angi dolore, atque illachrymari perspexeris, hæc demum perfectissima patientia est, & plena victoria contra vitium recordationis injuriarum. Patiens non respicit personas inferiores, æquales, ac superiores sint boni, vel mali. Bibe, inquit Climacus summa alachritate objurgationes, atque irisiones a quovis homine tibi propinatas, non aliter quam aquam vitæ: potare enim te quærit salubri potione, & perquam omnis animi lascivia, & luxuria purgetur (grad. 4.)

Grad. 8.

Grad. 4.

§ III. Multi æquo animo adversa tollerabant ex consideratione passionis Christi; memoria namque hujus curat animam impatientem, ait Climacus, „dum in illis clementiam, ac tolerantiam intuens valde confusa erubescit." Alii timore gehenæ sustinuerunt adversa. Senex quidam per multos annos in summo rigore vixerat in Eremo, qui a fratribus interogatus, quomodo tamdiu tantam vitæ asperitatem tollerare potuerit? quibus respondit: Omne suum exantlatum onus non esse comparandum uni horæ cum doloribus inferni, alii intuentes Dei voluntatem cuncta prospicientis, & ordinantis gravissimis molestiis haud cesserunt. Multi præterea cunctas injurias magnanimiter de-

Climac. grad. 7.

spi-

ſpiciebant: ex quibus unus eſt ſanctus Dorotheus, qui ab altero fratre multis quotidie convitiis & contumeliis proſciſſus, nunquam verbum contra ipſum dixit; quin & cum id reſciviſſet Abbas, neſcio quo referente decreviſſetque illum objurgare, procidi ego, inquit ipſe ſanctus Dorotheus, ad pedes Patris obſecrans per Jeſum Chriſtum, id ne faceret, quod videlicet meum fuiſſet peccatum, & non fratris. Alter vero quoque ſive ex tentatione, ſive ex ſimplicitate, Deus novit unde, longo tempore omni nocte urinam ſuam effudit in caput meum, ut etiam ſtratum meum madefieret, ſimiliter, & alii quidam fratrum interdiu veniebant (Psiathia) ſtoreas ſuas ante cellam meam excutiebant, & videbam tantam multitudinem cimicum cellam meam ingredientium, ut illos interficiendo ſuperare non poſſem, erant enim ob calores infiniti. Cæterum cum cubitum conceſsiſſem, omnes illi ſupra me congregabantur, ac ſomnus quidem ex nimio labore ingruebat, tandem excitatus a ſomno reperiebam totum corpus meum depaſtum, & nunquam alicui ipſorum dicebam: Ne ſic feceris, vel cur hoc facis? Neque ſcio me ipſum, ut dixi aliqando verbum mordax, aut cuipiam moleſtum fuiſſe locutum."

Doctrin. 4. de Timore Divino.

§ IV. Aliqui propter cibos impatientes fiunt, ſed inſtruat eos ſanctus ille ſenex, qui, cum ægrotaret (referente ſancto Dorotheo inſtitutione 7. prope finem) ac frater quidam lini ſeminis rancidi oleum, quod valde noxium eſt, pro mele in pulmentum ejus infundiſſet, nihil omnino dixit, ſed unum, & alterum cibum comedit, & poſtquam

neces-

necefsitati fuæ fatis feciffet, nequaquam accufavit fratrem in fe ipfo dicens: Quia me contempfit, & non tantum hoc non dixit: Sed ne verbulo quidem ipfum contriftavit. Quando autem frater ille refcivit, quid feciffet, cœpit affligi, dicens: Occidi te Abba, & tu tuo filentio mihi peccatum illud impofuifti. Quanta vero manfuetudine refpondit ipfi dicens, ne te affligas fili, fi voluiffet Deus, ut mel ederem, mel utique pofuiffes.

§ V. Vexationes Monachorum fanctus Ephraim (attende tibi Cap. 9.) Comparat tormentis Martyrum, decernens utrosque habituros easdem coronas. Imo alibi ait (Serm. de patientia, & de pœnit.) fe cum fuis Monachis fine tormentis Martyrem effe poffe. Cum vita Monaftica in femet ipfa Martyrium fit, id fanctus Gregorius Niffenus ex verbis Chrifti docuit. Nam cum ad primam beatitudinem (quæ concernit voluntarios pauperes adeoque Monachos) Æque, ac ad Octavam, quæ Martyres tangit dicatur: „ Quoniam ipforum eft Regnum Cœlorum, fubinfert ipfe: Quorum premium idem eft, horum etiam certamina paria funt. „ Certe de mundo triumphaffe, carnemque affixiffe de fententia fancti Auguftini." Pars Martyrii eft, ut enim multæ perfecutiones, ita multa funt Martyria, ait fanctus Ambrofius (Serm. 20. in Pfal. 118.) Quotidie teftis es Chrifti. Tentatus es fpiritu fornicationis, fed veritus Chrifti futurum judicium temerandam mentis, & corporis caftimoniam, non putafti Martyr es Chrifti: Recte ergo fanctus Macarius exclamavit: „ Venite, videte Martyrium horum juvenum." Duo enim Monachi erant

S.Gregor. Homil. 1. & 8. de Beatitud.

S. Auguft. ferm. 46. de fanctis.

Joannes Subdiac. Lib. 5. Nro 2.

Caſsian. collat. 18. Cap. 7. brevi ab initio Monachismi ſanctiſsime defuncti. Verus enim Monachus teſte Caſsiano vivus Martyr eſt.

§ VI. Quare ſancti Patres Monachismum æquiparaverunt Martyrio? reſpondet ſanctus Damaſcenus in vita ſancti Barlaam, & Joſaphat." Poſteaquam, inquit, crudeles, ac belluini tyranni miſere, ut merebantur, perierunt, perſecutioque finem accepit, ac pii Imperatores totius Orbis imperio potiti ſunt, ſuccedentes alii a ſanctis Martyribus, ac Zelum illum, Divinamque cupiditatem ſibi immitandam proponentes, eodemque timore ſauciam animam habentes, illud optime ſecum conſiderabant, atque ſpectabant, ut ab omni ſpurcitie animam puram, ac corpus Deo exhiberent, ſic nimirum ſe comparantes, ut omnes vitioſarum affectionum actiones amputarent, ſe ipſosque ab omni carnis, & ſpiritus inquinamento repurgarent. Quoniam autem hoc non alia ratione, quam per mandatorum Chriſti obſervationem a ſe præſtari poſſe intelligerent: Mandatorum porro obſervationem, ac virtutum cultum, in mediis mundi tumultibus ægre conſequi ſe poſſe perſpiciebant, novum quoddam, atque ab aliis diverſum vitæ genus ſibi ipſis inſtituerunt, ac juxta Divinam vocem relictis omnibus rebus, hoc eſt Parentibus liberis, amicis, cognatis, opibus, deliciis, cunctisque mundi commodis contemptis in ſolitudines tamquam exules quidam ſeſe contulerunt, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in ſoitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cavernis terræ, ac ſe ipſos ab omnibus

S. Damaſc. Cap. 12.

bus

bus terrenis jucunditatibus, & voluptatibus procul removentes, atque adeo panis etiam & veſtimentorum gravi penuria laborantes. Quod, ut facerent, duplex illos cauſa impellebat, altera, ut vitioſarum affectionum materias minime cernentes earum cupiditates radicitus ex animis ſuis evellerent, earumque memoriam obliterarent, ac divinarum, Cœleſtiumque rerum amorem, & deſiderium, in ſe ipſis efficerent, animoque, ac voluntate effecti, ea gloria, quam ii, qui Martyrio perfuncti ſunt, obtinent, minime carerent: Verum cum ipſi quoque, quantum in ſe eſſet, Chriſti paſsionem expræſsiſſent, ipſius quoque regni participes eſſent; atque alii quidem ſub dio durantes, ſolis æſtu, atque aſperrimis frigoribus, ac pluviis, ac ventorum turbinibus afflictabantur: Alii in conſtructis tuguriis, aut in ſpeluncis, & antris ſeſe occultantes vitam agebant. Sicque virtutem colentes omnem carnalem conſolationem, & quietem ad extremum usque repudiarunt, crudis oleribus, & herbis, aut pomis, aut etiam ſicco, ac duriſsimo pane vitam tolerantes. Itaque juxta Damaſcenum in defectum Martyrum Monachi ſubingreſsi ſunt, qui ſe ipſos voluntariis paſsionibus, ad extremum usque mortificaverunt; omnibusque terrenis exuti negotiis, adhuc morantes in corpore Angelorum æmulati ſunt ſanctitatem, ut ait Auctor vitæ ſancti Pachomii in Prologo hinc.

§ VII. Sanctus Ephraim (de perfectione) vitam Monachorum ait Angelis eſſe ſimilem, eorumque inſtitutum plenum Divino Myſterio. Status hic Monaſticus a ſancto Gregorio nominatur ornamentum Eccleſiæ. „ A ſancto Hie-

S. Greg. Homil. 7. in cant.

S.Hieron. Epiſt. 17. Hieronymo." Flos quidam & pretioſiſsimus lapis inter Eccleſiaſtica ornamenta Monachorum, & Virginum Chorus dicitur, & a ſanctó Iſaác gloria Eccleſiæ Jeſu Chriſti. S. Ephra. adhort. 4. Sanctus Ephraim vitam ſecularium pelago, Monaſticam vero portui comparat. „ Et recte, teſte enim ſancto Chryſoſtomo." S. Chryſoſtom. Lib. 3. adverſ. vitup. vit. Monaſt. Cap. 10. Ii, qui in Monaſterio verſantur, quamvis tempeſtates ſeviant, ſoli in portu tranquilitate, & ſecuritate multa ſedentes, tamquam de cœlo aliorum naufragia deſpectant, quippe qui converſatione cœleſti electa nihil ab Angelis differunt: Nam ſicut inter hos nulla eſt inæqualitas, neque enim aliis bene, aliis male eſt, ſed omnes in eadem pace, gaudio, gloriaque degunt. Sic & inter illos nemo ſi quidem paupertati exprobrat, nemo de divitiis gloriatur, meum illud & tuum quod cuncta invertit, & perturbat, eliminatum eſt. Omnia ibi communia, & menſa & habitatio, & veſtes. Et hoc quid mirum, cum & illis anima una eademque ſit! nulla inter illos diverſitas, aut inæqualitas locum habet, Idcirco quidquid faciunt aut patiuntur, id ab illis ideo fit, ut & jucundentur, & gaudeat — ibi — — commune eſſe exiſtimatur, quod cuique tam triſte quam jucundum acciderit.

§ VIII. O quam difficulter poterant ab hoc fratrum conſortio avelli, qui dulcedinem cœleſtis hujus converſationis ex vero guſtaverunt! Sanctus Sophronius ex Monacho factus Patriarcha acerbiſsime deplorat ſuum Monachismum: Quam cordi, inquit, mihi nunc eſt amiſſa quies, & longe amabilior, quam tunc erat, poſtquam

ſci-

ſcilicet ex tranquillo otio in turbas deductus ſum negotiorum terrenis fluctibus committendus! heu viri venerabiles! quam ſuavis mihi nunc eſt illa vita mediocris! longe dulcior videtur, quam ante, ex quo deſtercore, & terra de multa, & ineffabili humilitate ad ſolium Pontificale evectus ſum. Sed ita eſt Patres: deperdita ſanitas a nullo melius agnoſcitur, aut ferventius expetitur, quam ab infirmis. Quid ſit tranquillitas, poſt tempeſtatem ſentitur. Divitias nemo ſic amat, quam, qui poſt opes redactus ad incitas, ad easdem regreditur. Atque ita in omnibus adverſitas facit, ut ſecunda deſiderabiliora ſint, ac gratiora. Merito proin & ego cum miſerabili Jób memoria priſtinorum bonorum meorum excitatus proclamo: „ Quis conſtituet me ſecundum menſem dierum antiquorum, quibus me Deus ſervabat inafflictum, quando ſplendebat lucerna ejus ſupra caput meum, vivebamque vitam quietam, & influctuoſam; quando luminis ejus beneficio gradiebar per tenebras; cum vindemiebam racemos ſilentii, cum interioris libertatis jucundabar floribus, cum ſecuritatis coronabar calycibus — — cum terrena ſaturabar paupertate, cum humillis caſæ delectabar pulchritudine, cum melifluum manna ſponte naſcentis eſcæ alter Israelita manducabam &c.

Hæc ſanctiſsimus Patriarcha deplorans de ſtatu Monaſtico in laudem protulit. Denique

§ IX. Michael Oxita, ſic dictus ab Inſula Oxia, in qua degit qua Monachus, qui ad Tronum Patriarchalem ſublimatus erat, poſtquam ſediſſet annos duos, & menſes octo, ſponte ſeſe hac dignitate abdicavit, & in Oxiam

Insulam rediit, Monasticumque institutum reassumsit, ibique, ut refert Baronius (ad annum 1145.) In templi vestibulo prostratus, cuique Monacho collum calcandum præbuit, vehementer dolens, quod adamatam a teneris annis quietem repudiasset, nulloque cum fructu Tronum Constantinopolitanum conscendisset. (Vide Graveson Hist. Eccles. Nov. Testam. sæculi 12. Tom. 4. par. 1. edit. August. Vind. pag. 114.) Nec mirum viros magnos Ordinem Religiosum tanti fecisse, Martyrum enim hic in Ecclesia Christi militante locum Monachi tenent, ac dignitatem, ut jam antea dixeramus, Angelis similes, & admirandum spectaculum est in cœlis Monachus super terram vitam Angelicam ducens, ait sanctus Ephraim (paræn. 1.)

§ X. Hinc multi relictis gubernaculis Regnorum, Imperiorumque vitam Monasticam sunt amplexi, eligentes potius ab Angelis, & tuguriis Monasticis coli, quam ab hominibus inter Reges, ab Principes in aulis adorari, ex quibus erat sanctus Josaphat, conversus a sancto Barlaám, teste sancto Damasceno in historia. Sanctus Corolomanus, Caroli Magni Patruus; Pipinus, Caroli Magni filius primogenitus. — — Trebelius Rex Bulgariæ A. D. 862. Joannes Brena, Imperator Constantinopolitanus. Henricus, Rex Cypri; Joannes, Rex Armeniæ; sanctus Ludovicus, Caroli sexundi, Siciliæ Regis filius: plures alios recenset Hieronymus Platus Lib. 2. de bono statu Religiosorum Cap. 26. & sequentibus: Nimirum vita privata, vita Beata.

Con-

Constantinus Magnus, ut refert Eusebius, Monachorum atque Monialium singularis amator erat, qui non modo se, suos, atque Imperium per literas sancto Antonio commendaverat; Verum etiam maximis eos honoribus prosequebatur, qui vitam suam cœlesti Philosophiæ (id est: Monastico Instituto) dedicarunt. Sanctissimum ergo perpetuarum Virginum cœtum constanter colebat; quod in earum mentibus Deum ipsum, cui se consecraverant, inhabitare crederet. „Quibus proinde tam Monachis, quam Monialibus pro victu necessaria liberaliter præstari curabat pientissimus Imperator (sanctus Athanasius in apol. & Theodoret. Lib. I. Hist. C. II.

Vita S. Antonii Cap. 50.

Eusebius Lib 4. vit. constant Cap. 28.

§ XI. Semper in magno honore in Ecclesia habiti sunt Monachi, Abbatesque eorum. In Comitiis Ecclesiasticis post Episcopos primi tam loco, quam subscriptionibus erant Abbates, immo viris etiam illustribus ex Aulis Regum præponebantur, quod Clarum est ex Concilio Toletano VIII. ac XII. A. D. 633. & 681. habito. Gregorius VII. Romanus Pontifex vix ullam illustriorem Legationem instituerat, quin adhiberet Abbates." Carolus Magnus Imperii etiam negotia committebat Abbatibus, ut testantur Pontificis Hadriani Epistolæ.

S. Greg. Epist. 7.

Verum tamen sacri Canones non admittunt, ut Monachi negotiis civilibus se implicent. Id enim in Synodis Moguntina, Rhemenensi, Parisiensi, Lateranensi, aliisque sancitum est.

§ XII. Contemptores atque osores; persecutoresque Monachorum reperiebantur semper improbi homines. Sancti

cti

cti Antonii tempore, quo Monachismus tamquam ſol radiabat, ordo hic in ipſa Urbe vilis, ac ignominioſus cenſebatur, ſervique Dei pro impoſtoribus habebantur. „Hinc ſanctus Joannes Chryſoſtomus tres libros ſcribere compulſus eſt adverſus Vituperatores vitæ Monaſticæ. Chriſtiana pietas inſurgentibus undique hæreticis in gravi cernebatur periculo, Monachi igitur remedium ei laturi migrarunt in oppida, & ideo exagitabantur, paſsim expellebantur, exterminabantur, & quæque mala patiebantur."

S. Hieronym. Epiſt. 19. & 23.

Nec gentiles erant, qui hæc faciebant, ſed Chriſtiani triumphabant miſeri, & jactabantur paſsim, quæ in ipſos exercuiſſent. Atque hæc omnia ad mortem, usque ſanctum virum (Chryſoſtomum) cruciabant: „Orbem, inquit, ſimul flebam univerſum, & ad Deum converſus dicebat: Tolle animam meam a me, & de neceſsitatibus meis erue me, & de hac corruptibili vita libera me, eoque me transfer, ubi nemo ſimilia denuntiabit, & audiet.

S. Chryſoſt. Lib. 1. Cap. 5. 7. & 1. 2.

Simili commiſeratione deplorat deſpectum Monachorum Salvianus (Lib. 4. de Gubernatione Dei) Jam vero, inquit, illud quale, quam ſanctum, quod ſi quis ex Nobilibus converti ad Deum cœpe t, ſtatim honorem Nobilitatis amittit? aut quantus in Chriſtiano populo honor Chriſti eſt, ubi Religio ignobilem facit? Si honoratior quispiam Religioni ſe applicuerit, illico honoratus eſſe deſiſtit.

Ubi enim quis mntaverit veſtem, mutat protinus dignitatem.

Irri-

Irridebant Afri Monachos, maledicebant, insectabantur, detestabantur, & omnia in illlos pene faciebant, quæ in Salvatorem nostrum Judæorum impietas antefecit, quam ad effusionem ipsam Divini Sanguinis perveniret. Sed cur hoc in Servos Dei tantum odium, tantaque Afrorum persecutio? Non nisi quia diversitas studiorum aversionem causat animorum, Sanctitas Dei servorum occulos perstringit animorum, & tanto magis, quanto illa illustrior. Illi enim, ait Salvianus, vivebant in nequitia: Isti in innocentia: Illi in libidine, isti in castitate: Illi in lustris; isti in Monasteriis. Verum quod interdum mali Religiosi contemptui habeantur, merito ipsorum fit. Jure despicitur pomum putridum, aurumque adulterium.

Salvianus Lib. 8. de gubernatione Dei.



IMAGO
VITAE MONASTICAE
PARS IV.

CAPUT I.

De Authore vitæ Cœnobiticæ sancto Basilio Magno.

§ I.

S. Greg. Nazianz. Epist. 6. quæ incipit: Non fero Tiberinen &c.

S. Basil. Homil. in Gordium. Nro 2. Epist. 76. & 96.

Sanctus hic Cæsareæ in Cappadocia circa annum 329. natus fuit, quem proinde sanctus Gregorius Nazianzenus Cappadocem nominat. Et ipse Basilius Cæsaream & Cappadociam suam esse Patriam asserit. Id ipsum loquitur etiam de Ponto (Epist. 15. & 8. Pontum Patriam suam appellans, videlicet, quia Pontus erat Patria Parentis, & Avorum, ibi Pater domicilium habuerat, ibi nati sunt Basilii fratres, ibi nutrici traditus alendus: ibi prima illius & pietatis, & litterarum tyrocinia, ibi denique dilecta solitudo, in quam se receperat. Tot igitur nominibus huic loco obstrictus non immerito illum instar patriæ habuerat. Mirum autem non est Basilium Cæsareæ natum

tum fuiſſe, quamvis pater illius præcipue in Ponto domicilium habuerit, amplæ enim poſſeſsiones in Cappadocia habitæ, ſæpe illum in Cæſaream traxerunt, & diu in hac Urbe detinuerunt, adeo, ut illius, & Emmeliæ præclare facta Gregorius inter Pontum, & Cappadociam diviſa fuiſſe teſtetur.

S. Greg. Nazianz. Orat. 20. pag. 322. a.

§ II. Paternum genus Baſilius e Ponto, Maternum vero ex Cappadocia ducebat, utrumque illud genus Militaribus, Palatinis, & Municipalibus dignitatibus inſigne, ac divitiis, & opibus, & excelſis Thronis, ac eloquentiæ fama clarum, ſed pietate ac religionis ſtudio, & rebus pro Chriſto fortiter geſtis longe clarius: Etenim Maternus Baſilii Avus vita, & bonis pro Chriſto ſpoliatus ab Imperatore fuerat. Avi autem Paterni tempore perſecutionis in Ponti quadam ſylva ſeptem annis latitantes ſub dio vixerunt, pluviis & frigoribus expoſiti, ab omnibus vitæ commodis, ab amicis, & omni hominum ſocietate remoti. Quo nomine appellatus fuerit paternus ille Avus Baſilii, neſcitur. Aviæ nomen Macrinæ fuit, quæ cum Baſilium infantem informaverit, inſtitueritque, videtur usque ad annum 340. vixiſſe.

S. Greg. Naz. Orat. de Baſil.

§ III. Horum filius Baſilius hujus Baſilii Magni Genitor eximias virtutes cum magnis eruditionis, & eloquentiæ ornamentis conjunxerat: Inclaruit enim in foro, & eloquentiam ſumma celebritate in Ponto docuit; ſed morum ſanctitate clarior exſtitit. Is in Matrimonium parem generis, & virtutum ſplendore fœminam Emmeliam, quæ id inter mulieres fuit, quod Baſilius filius inter Viros. Amplisſimas

S. Greg. Niſſen. vita Macrin. pag. 392.

S. Greg. Naz. Orat. 20. de S. Baſilio pag. 322.

mas in tribus Provinciis poſſeſsiones habebant Conjuges illi. Sed præcipua Baſilii & Emmeliæ gloria proles exſtitit. Decem liberos ſuſceperunt, quorum tres Epiſcopi ſumma ſanctitatis, & doctrinæ laude floruerunt, uno e filiis in infantia e vivis excedente, proinde poſt obitum Mariti quatuor filiorum, & quinque filiarum Emmeliana Mater fuit, eorumque bona in novem partes diviſa ſunt, omnium natu maxima erat ſancta Macrina: Primus filiorum ſanctus Baſilius, ſecundus Naucratius, tertius ſanctus Gregorius Niſſenus, omnium poſtremus fuit ſanctus Petrus Sebaſtenus.

§ IV. Non in Cappadocia nutritus Baſilius, ſed in Pago quodam, quem Parentes in Ponto poſsidebant. Regendæ infantiæ Baſilii curam ſuſcepit ornatisſima fœmina Avia Macrina, ac teneræ menti ſanæ doctrinæ ſemina mandavit. Quæ nulla unquam temporum viciſsitudine immutata, ſed aucta ſemper, & exculta præſtantiſsimos fructus extulerunt. His ſe Baſilius ab ea imbutum fuiſſe teſtatur. „Educati ſumus, inquit, ſub Avia Beata muliere — — „Macrinam dico celeberrimam illam, a qua edocti ſumus beatiſsimi Gregorii Neo-Cæſarienſis verba, quæcunque usque ad ipſam memoriæ continuatione conſervata cum ipſa cuſtodiebat, tum nos adhuc infantes fingebat, & informabat pietatis dogmatibus." Ut primum vero litteris ediſcendis idoneus fuit, ex Aviæ manibus ad Patris diſciplinam tranſiit, qui Rhetoricam magna celebritate in Ponto docebat. Poſtquam vero ad ætatem pervenit Baſilius, melioris occaſionem frugis, & laboribus

S. Baſil. Epiſt. 204. Nro 6.

bus

bus alios labores addere cupiens, & dicendi ſtudio incenſus, ut in eo magis proficeret, Cæſaream Cappadociæ Metropolim venit, quæ tunc literarum gloria & ſtudiorum frequentia in Aſia tota florebat. In hac brevi tempore adeo contendit, ut in omni fere diſciplina æquales omnes ſuperaret: unde magnum apud eos populos eſt nomen aſſecutus. Poſt hæc Conſtantinopolim petiit ſtudiis item literarum admodum celebrem, ut magis, ac magis in his proficeret. Poſtremo Athenas contendit doctrinarum omnium, ac diſciplinarum procreatrices. Tandem vir ſanctus poſtquam omnes adeptus erat diſciplinas, ad rerum meliorum occaſiones captandas in patriam reverſus eſt, mundo & veluti theatro cuidam aliquantulum ſatisfacturus; nam ut in theatro, & ſcena quadam exiſtens palam familiæ, amicis, propinquis eousque verba fecit, ut eorum deſiderio & charitati erga ſe habitæ ſatisfaceret, teſtante id ſancto Gregorio Nazianzeno in ſua de eodem Oratione; a Cæſarienſibus interea honorifice exceptus, ubi & Rhetoricam docendam ſuſcepit, quod munus illum magnifice exercuiſſe Ruffinus narrat. Ruffinus Lib. 2. Cap. 9.

§ V. Quo tempore & anno baptiſatus ſit Baſilius Magnus, certo non conſtat, credibile attamen eum circa annum 357. idque poſt reditum Athenis myſteriis fuiſſe initiatum; teſtatur autem ipſe Baſilius a viro, qui diu in miniſterio Dei vixit ſe baptiſatum fuiſſe, atque miniſterio Eccleſiæ admotum, hic autem erat Dianius Cæſarienſis Epiſcopus. Nam cum is ab anno ſaltem 341. quo interfuit Concilio Antiocheno usque ad annum 362. Eccleſiam S. Baſil. Lib. de Spirit. S. Cap. 29. Nro 71.

Cæsarienſem rexit. Dilationis vero baptismi illius cauſa erat, ne tam eximium donum adoleſcentiæ naufragio exponeretur præſertim, cum Conſtantinopolim, & Athenas miſſus eſt, quibus in Urbibus perpetua innocentiæ, & Fidei pericula imminebant, ſequaciter cum ſeſe a mundi

S. Baſil. Epiſt. 223. ſcena abſtraxit, tum demum baptiſatus fuit. Ipſemet ſanctus Baſilius declarat, ſe intimos pietatis ſenſus concipere & quidquid ſordium ex profanis ſtudiis & hominum improborum conſuetudine conceperat, excutere cœpiſſe, cum ſua omnia pauperibus diſtribuere, ac in ſolitudinem ſeſe recipere vitamque Monaſticam amplecti ſtatuit. Quod ipſum opere etiam eumdem compleviſſe ſequentia edocent.

CAPUT II.

§ I.

Sanctum Baſilium vere fuiſſe Monachum, univerſa recognovit antiquitas, neque de eo ullus dubium obmoverat hactenus: Solus Thomaſsinus ſcriptor nova quadam concepta opinione Monaſtici inſtituti profeſsionem Baſilio invidens negat illum vere fuiſſe Monachum. Novella hæc opinio, quæ etiam nonnullis arridere videtur, ſequentibus refellitur. Et quidem

S. Baſil. Epiſt. 223. Nro 2. alias Epiſt. 79. *Primo* propria ipſius ſancti Baſilii faſsione: Sic enim ſuſceptum a ſe Monaſticæ vitæ propoſitum exponit: „ Ego „ cum multa temporis impendiſſem vanitati, totamque „ fere juventutem meam perdidiſſem inani labore, quem

indi-

„ indiſcendis infatuatæ a Deo ſapientiæ diſciplinis occu-
„ patus ſuſcipiebam, ubi tandem aliquando veluti ex alto
„ ſomno expergefactus, reſpexi ad lumen admirabile ve-
„ ritatis Evangelii, ac vidi inutilitatem ſapientiæ princi-
„ pum hujus ſeculi, qui deſtruuntur: Miſerabilem vitam
„ meam plurimum deflens, optabam dari mihi diſcipli-
„ nam, quæ me ad pietatis dogmata introduceret. Ac
„ mihi quidem ante omnia curæ erat, ut emendationem
„ aliquam morum facerem, quos diuturna cum impro-
„ bis conſuetudo perverterat. Itaque cum legiſſem Evan-
„ gelium, ibique perſpexiſſem plurimum ad perfectionem
„ valere, bona ſua divendere, & cum egenis fratribus
„ communicare, ac nulla prorſus hujus vitæ ſolicitudine
„ diſtringi, nec ulla affectione ad res terrenas animo con-
„ verti, cupiebam invenire aliquem ex fratribus, qui
„ hanc vitæ viam elegiſſet, ut una cum ipſo brevem hu-
„ jus vitæ fluctum tranſigerem. Ac multos quidem inveni
„ Alexandriæ, multos etiam in reliqua Ægypto: & in
„ Paleſtina, alios & Celeſyria ac Meſopotamia: quorum
„ mirabar abſtinentiam in victu, mirabar tolerantiam in
„ laboribus ſtupebam ad Conſtantiam in precibus, quo-
„ modo ſomnum ſuperarent, naturali nulla neceſsitate in-
„ fracti — — in fame & ſiti, in frigore, & nuditate,
„ nusquam ad corpus converſi, nec ullam ei curam inpen-
„ dere volentes, ſed tamquam in aliena carne viventes
„ reipſa oſtenderent, quid ſit in hac vita peregrinari, &
„ quid civitaten in cœlo habere. Hæc cum mirarer, ac
„ beatam putarem virorum vitam, quod factis oſten-

de-

„ derent se mortificationem Jesu in corpore circumferre,
„ optabam & ipse, quantum possem attingere, imitator
„ esse hominum illorum. Quamobrem cum vidissem non
„ nullos in patria imitari illorum instituta conantes, mihi
„ visus sum adjumenti aliquid reperisse ad meam salutem,
„ & indicium ducebam eorum, quæ non videntur ea, quæ
„ videntur."

En! quam clare Basilius fatetur se statuisse bona sua omnia vendere, & pauperibus distribuere, & eatenus quærit aliquem ex fratribus, qui Monasticum Institutum profiteatur, & cum eo brevem hujus vitæ fluctum transeat; quem in finem peragrat regiones diversas, Alexandriam, totamque Ægyptum, Palestinam, Cælesyriam ac Mesopotamiam: Ubi reperit quam plurimos Monachos factis remonstrantes se mortificationem Jesu in corpore circumferre, horumque optat esse imitator. Quis igitur dicet eum ab incæpto turpiter defecisse? & quæ statuta, ac deliberata habuerat, minime perfecisse? tamque inconstantem, ac arundini vento agitatæ similem exstitisse? Perfecit omnino complevitque opere, quæ prius statuerat, exuens se omnibus facultatibus: Id enim de se fatetur ipsemet sanctus Basilius. „ Ego, inquit, nihil proprium habeo, sed amico-
„ rum, & propinquorum rebus sustentor." Id ipsum loquitur (Epist. 37.) interponens se pro quodam Presbytero, suo collactaneo, ne ejus domus novo quodam censu gravaretur, unde sustentari solebat: „ Precor, inquit, ut do-
„ mus, in qua fui enutritus, in eodem statu permaneat —
„ — quia etiamnum ex eadem domo alor, nihil habens
„ meo-

S. Basil. Epist. 36.

„ meorum, ſed charorum ſuſtentatus facultatibus, precor, „ ut huic domui, ita parcas, ut mihi alimenti copiam „ conſervaturus." Cuidam Magiſtratui ita ſcribens: Cunctis itaque facultatibus Monaſticæ Profeſsionis vigore ſe ita ſpoliaverat Baſilius, ut proprii nihil omnino amplius in vita ſua poſſederit. Hinc modeſto cuidam Valentis Imperatoris præfecto exilium ſibi minanti audacter reſpondit: „ Nihil, inquit, poſsidens, ab exilii metu liber ſum." Niſſenus quoque teſtatur Baſilium ab initio ſtatuiſſe nihil posſidere, & petram immobilem fuiſſe hoc conſilium. Denique idem diſcimus ex Nazianzeno: „ eundem omnibus „ facultatibus, quas unquam habuerat, æquo animo projectis, leviter facileque vitæ pelagus transmiſiſſe."

S. Greg. Naz. Orat. de S. Baſilio.

S. Greg. Niſſ. in S. Baſil. pag. 438.

S. Greg. Naz. pag. 357. d.

§ II. „ Sanctus Gregorius Niſſenus teſtatur quidem „ ſanctum Baſilium patrimonium pauperibus & ante Sacerdotium diſtribuiſſe, & maxime famis tempore, cum adhuc eſſet in Presbyterorum ordine, nec poſtea eorum, „ quæ reſidua fuerant, minus liberalem fuiſſe." Attamen inde inferri nequit, eundem non omnia, quorum tunc actualis Poſſeſſor exſtitit illico diſtribuiſſe, ſed ſibi quidpiam reſervaſſe: Et enim extra omne dubium eſt, Baſilium id ſedulo obſervaſſe, quod præſcripſit aliis in Regulis ſuis tum fuſioribus, tum etiam brevioribus, neque eum hac in re inferiorem fuiſſe Macrina ſorore ſua, quæ ſe ex bonis æqua parte inter ipſam, ac fratres diviſis nihil ſibi reliquum feciſſe teſtatur, ſed omnia per manus Sacerdotis ſecundum divinum Præceptum diſtribuiſſe. Quam vero alienus ab hac diſolutione, quæ illi affingitur, fuerit Baſilius,

S. Greg. Niſſ. in Eunomum pag. 307.

Vita S. Macrinæ pag. 192.

ex hoc Casſiani teſtimonio perſpicitur: „ Fertur ſententia, „ inquit, ſancti Baſilii Cæſarienſis Epiſcopi ad quemdam „ prolata ſyncletium tali quo diximus tepore torpentem, „ qui cum ſe renuntiaſſe diceret huic mundo, quædam ſibi „ de propriis facultatibus reſervavit, nolens exercitio ma- „ nuum ſuarum ſuſtentari, & humilitatem veram nuditate, „ & operis contritione, Monaſteriique ſubjectione conqui- „ rere. Et Senatorem, inquit, ſyncleti perdidiſti, & Mo- „ nachum non feciſti.

Casſian. Inſtit. Lib. 7. Cap. 19.

§ III. Illud autem, quod aſſerit Niſſenus, Baſilium poſtea eorum, quæ reliqua erant, non minus liberalem fuiſſe, facile explicatur. Etenim Baſilius amplam hæreditatem non ſtatim totam percepit, ſed nonnulla ſerius, ut in ejusmodi rebus fieri ſolet, in ejus manns pervenerunt, & ſignanter materna hæreditas, quam poſt obitum S. Emmeliæ matris ſuæ recte tempore famis perceperat; hinc facile perſpicitur, quomodo, qui ſe jam antea omnibus rebus nudaverat, idem tunc charitatis ſpecimen renovaverit Baſilius. Verum quid opus eſt exquiſitis argumentis in re tam manifeſta? Monaſticæ profeſsionis Baſilii habemus certiſsimum monumentum, ipſas Regulas ab eo Inſtitutas, quæ ſeveriſsime præcipiunt, res omnes ſimpliciter relinquendas eſſe, atque ei, qui ſemel inter fratres Monaſterii adſcriptus eſt, nullum prorſus exeundi locum relinquunt, ſed Sacrilegium eſſe declarant, qui ad aliud vitæ genus tranſit, ut qui denarium Deo conſecratum abſtulerit, quibus votis Baſilium non minus fuiſſe obſtrictum, quam eos, quos regendos ſuſceperat. Id ipſum innuit S. Baſilius in Proœmio

in regulas longiores, quod sic incipit: „ Quoniam Deo ju-
„ vante in nomine Domini nostri Jesu Christi simul conve-
„ nimus nos, qui unum & idem pii instituti propositum
„ tenemus." Certe Monachis Cæsariensibus professio S. Ba-
silii non erat dubia, cui cum magnæ molestiæ accidissent
ab Eusebio Episcopo, factam ei, ut suo Capiti, seu Supe-
riori injuriam graviter tulerunt, ut exponit Nazianzenus: S. Nazian. Orat. in S. Basilium.
„ Magno, inquit, Basilio verbis factisque palam adversa-
„ batur (Eusebius) eumque omnino ab Ecclesia repellere
„ conabatur, adversos tamen habuit Ascetas, quorum Ca-
„ put erat Basilius."

Denique S. Basilium cum Gregorio Nazianzeno vitam solitariam seu Monasticam fuisse amplexum referunt: Ruffinus Lib. 2. Cap. 9. Socrates Libro 4. Cap. 21. Sozomenus Lib. 6. Cap. 17.

§ IV. Dices Thomassine? Basilium voluntaria pietate perfecisse, quæ Monachi imposita votorum necessitate faciunt. Id quidem tu, sed sine fundamento dicere potes, quemadmodum ex præmissis luce meridiana clarius patet. Cæterum si attentius decimum nonum S. Basilii Canonem legisses, neutiquam in hunc incidisses errorem: „ Virorum, S. Basil. Epist. 199. Can. 19.
„ inquit, professiones non novimus præterquam, si qui se
„ ipsi Monachorum Ordini adscripserint, qui quidem tacite
„ vitam cœlibem videntur suscipere. Verum tamen in il-
„ lis quoque illud præmitti oportere, ut ipsi interogentur,
„ accipiaturque eorum professio clara, ac perspicua; ut
„ cum se ad libidinosam, & voluptariam vitam converte-
„ rint eorum, qui fornicantur, punitioni subjiciantur." Hinc

in Regula fuſiori interogatione X. & Epiſtola 23. quæ ante Canones ſcriptæ ſunt, non alia præſcribitur profeſsio his, qui Monaſticam vitam amplectuntur, niſi ut Fratrum Ordini poſt legitimam approbationem adſcribantur. Hujus autem tacitæ profeſsionis non minus erant ſtricta vincula, quam illius claræ & perſpicuæ. Nam Baſilius ut præmiſſum eſt, eum, qui ſe dicavit Deo, & deinde ad aliud vitæ genus tranſiit, factum eſſe Sacrilegium, & conſecratum Deo denarium abſtuliſſe pronuntiat. Cum igitur ſanctus Baſilius Monachorum Ordini adſcriptus fuerit, ac eidem etiam præfuerit, Monaſtica illius profeſsio eſt omnino innegabilis. Abſurdumque eſt clare & nominatim conceptæ profeſsionis neceſsitatem ei imponere, quæ illis temporibus omiſſa, ſaltem in Cappadocia, nihil de votorum vi detrahebat.

Ruffinus Libro 2. Cap. 9.

§ V. Finitis peregrinationibus, quas Vir ſanctus terra marique ſuſceperat, ac Ægypti, Orientisque Monaſteriis eum in finem viſitatis, ut perfecta virtutum exempla ad immitandum haberet, repertisque ſanctiſsimis Monachis Alexandriæ, & in reliqua Ægypto, ac in Paleſtina & Cæleſyria & Meſopotamia: quorum miratus eſt in laboribus perferendis animi fortitudinem, & in orando conſtantiam: Stupebat cum eos videret ſomnum ſuperare, nec ulla naturali neceſsitate inflecti, ſed in fame, & ſiti, in frigore & nuditate indomitum animi robur ſervare, & tamquam aliena in carne vivere; reverſus eſt in patriam, ac paulo poſt ſeceſsit in montem quemdam ad ripas Iridis fluvii, qui ex Armenia ortus Pontum irrigat, & in Euxinum Pontum de-

S. Greg. Niſſen. vit. Macrin.

la-

labitur. Ad alteram fluvii ripam fita erat Villa Annefos vocata, in qua Bafilius apud Aviam Macrinam educatus fuerat; hæc Villa paterna hæreditas Familiæ S. Bafilii fuit, in qua a Virgine Macrina conftructum Virginum feu Monialium Monafterium erat.

§ VI. Itaque exemplum fupra fatorum Monachorum fecutus rebus omnibus ita fe nudaverat Bafilius, ut nihil prorfus haberet præter corpus, & neceffaria corporis integumenta. Nemo tanta inedia exftitit: Erat illi, inquit, fanctus Nazianzenus, tunica & pallium unum, & ftratus humilectulus, & vigiliæ (illa ejus decora, & ornamenta,) & fuavifsima cœna; & obsonium panis, & fal, novum inquam illud condimentum, & potio fobria, & uberrima, quam nobis nihil laborantibus fontes profundunt. „ Sanctus quoque Gregorius Niffenus teftatur eum parcifsimi „ cibi fuiffe, & cum carne fua non aliter, quam cum fervo fugitivo inexorabilem dominum egiffe. Victum ei ex ipfa domo, in qua nutritus erat, mater benigne providit, faltem poftquam ad Presbyterii gradum evectus eft. Nam maximam partem fervitiorum illius domus Presbytero cuidam Dorotheo nomine, qui Bafilii collactaneus erat, ejusque nutricis unicus filius, ea conditione tradidit, ut Bafilio alimenta fuppeditaret, fic autem tradidit, ut nequaquam donum effet, fed ufus pervitam.

S. Greg. Naz. Orat. 20. de S. Bafilio pagina 357. 358.

S. Greg. Niffen. in S. Bafilium pag. 490. 496.

S. Bafil. Epift. 37. 38.

CAPUT III.

Sanctus Basilius Vitae Coenobiticae, Author in Ponto et Cappadocia.

§ I.

S. Nazian. Orat. seu Melodia de S. Basilio.

Ut autem non solum sibi, sed & aliis quoque proficeret „ Basilius, primus, testante Nazianzeno, Cœnobia ex- „ cogitavit, Ritumque illum Monachorum antiquum, at- „ que agrestem ad ordinem quemdam, formulamque re- „ ligioni propiorem reduxit; cum enim animadvertisset „ eos, qui in communi vita, hoc est, inter alios mixtim „ agunt, Monasticam licet abstinentiam servent, aliis quidem „ utiles, sibi vero nequaquam existere, cum in multis eos „ necesse sit versari malis, eos vero qui in solitudine procul „ ab aliis agunt, firmiores sane proposito, magisque Deo con- „ junctos, quam supradictos vidit, attamen sibi tantum uti- „ les, cum rerum, experientiam nequaquam teneant, nec „ cum, aliis commercium ullum habeant, utrumque vitae „ genus conjungere conatus est, pietatis nimirum Gymna- „ sia, & Monasteria exstruens, non tamen longe discrepan- „ tia ab aliis, qui societatem colunt, & permiscentur, nec „ velut muro quopiam interjecto haec instituta distinguens, „ atque a se invicem superans, verum prope conjungens, „ ac dirimens, ut nec contemplatio communicationis ex- „ pers esset, nec actio contemplatione careret.

§ II. Id ipsum confirmari potest ex Basilii Epistola 207. Nro 2. Oderant eum Neo-Caesarienses, odii causae ina-

inanes, & abſurdæ fingebantur, pſalendi ritus Monaſtici in Eccleſia Cæſarienſi, & Baſilii Cœnobia. Certe nunquam Baſilium eo nomine incuſaſſent, ſi ante eum hoc inſtitutum in Ponto exſtitiſſet, erat quidem Euſtatius quidam Monachus diſcipulos ſuos habens; verum hi non fuerunt Cœnobitæ, ſed ſoli hinc inde vixerunt, de quibus ipſe ſanctus Baſilius ait ſe vidiſſe in patria ſua nonnullos, qui Monaſticum inſtitutum profitebantur. S. Baſil. Epiſt. 223. Quin etiam Baſilius, ut invidiam a ſe propulſet, novi hujus inſtituti, quod maximam laudem merebatur, nequaquam exempla ad ſuam defenſionem repetit ex Ponti, Cappadociæ, aut finitimarum gentium Eccleſiis, ſed ait ſe audiviſſe talem eſſe in Ægypto Virorum virtutem, fortaſſe etiam nonnullos in Palæſtina Evangelicam vitam excolere, & rurſus aliquos in Meſopotamia beatos eſſe, & perfectos Viros, non ergo Cœnobia in Ponto ante Baſilium exſtiterunt.

§ III. Ubi primum ſeceſſus delicias deguſtavit Baſilius, S. Baſil. Epiſt. 2. Gregorium Nazianzenum loci deſcriptione conatus eſt allicere, præterea expoſuit vivendi rationem, diuturnas, ac nocturnas preces, lectionem ſcripturarum, laboremque manuum deſcribens, ſed tunc forte, cum uno, alterove, ex Euſtathii diſcipulis ibidem degebat, ut alii harum Regionum Aſcetæ, ac proinde Baſilii Monaſterium non ſtatim Cœnobii formam habuit. Verum cito ad eum multi confluxerunt, ſeque illi in diſciplinam tradiderunt, ejusmodi enim diſcipulos habebat Anno 360. a quibus nec ad breviſsimum quidem tempus ſine magna illorum moleſtia diſcedere poterat, ut perſpicimus ex Epiſtola 8. Jam illius

Mo-

Monasterium suis numeris absolutum erat, cum Gregorius
S. Greg. Nazianz. Epist. 9. ad eum se contulerat. Nam inter ea, quæ se in hoc Monasterio vidisse memorat, laudat imprimis fratrum, quos Basilius ad pietatem instituebat, eximiam concordiam, meminit Psalmorum, & Hymnorum, ex quibus miram suavitatem perceperat. Non sine lepore meminit in alia Epistola 8. pauperis vitæ, quam ibi traduxerat, cum panis adeo durus apponeretur, ut dentes frangeret, ac tanta esset omnium rerum inopia, ut nisi Mater Basilii oportune succurrisset, fame moriendum fuisset. Commemorat etiam laborem manuum, Augiæ fimum e domo exportatum, ut horti steriles implerentur, ac immane plaustrum sua, & Basilii cervice, manibusque tractum, ut locus præruptus æquaretur. His addit lignorum comportationes, & lapidicinas, arborum consitiones, & irrigationes, imprimis vero platanum sua manu plantatam. Quod super erat otii ab Asceticæ vitæ muniis, impendebant in meditandis sacris literis, & cum in hoc studio plus antiquis Scriptoribus, quam ingenio suo tribuerent, collegerunt ex origine plurima observatione digna, quæ in unum corpus redacta Philocaliam appellaverunt. Hunc librum dono misit Georgius
S. Greg. Nazian. Epist. 87. Theodoro Thyanensi, ut opus sibi cum S. Basilio commune.

CA-

CAPUT IV.

Sanctus Baſilius in promovendis Eccleſiæ utilitatibus ſedulus fuit.

§ I.

Aſſumpto inſtituto ejusmodi, in quo & meditari poſſet, ut Anachoretæ & prodeſſe, ut Migades, ſegnis non fuit Baſilius in promovendis Eccleſiæ utilitatibus, laboresque ejus Monaſterii finibus non continebantur. „ Baſi-
„ lius Ponti Urbes inquit Ruffinus, & rura circumiens, Ruffin.
„ deſides gentis illius animos, & parum de ſpe futura Libro 2. Cap. 9.
„ ſolicitos, ſtimulare verbis, & prædicatione ſuccendere
„ callumque ab his longe negligentiæ cœpit abolere: ſub-
„ egitque abjectis inanium rerum, & ſecularium curis,
„ ſuimet notitiam recipere, in unum coire, Monaſteria
„ conſtruere Pſalmis, & Hymnis & Orationibus docuit
„ vacare, pauperum curam gerere eisque habitacula ho-
„ neſta, & quæ ad victum neceſſaria ſunt, præbere, Vir-
„ gines inſtituere, pudicam, caſtamque vitam omnibus
„ pene deſiderabilem facere. Ita brevi permutata eſt totius
„ provinciæ facies, ut in arido, & ſqualenti Campo vi-
„ deretur ſeges fœcunda, ac læta vinea ſurrexiſſe." Teſtatur etiam Zozomenus Baſilium Ponti Urbes circumeuntem multa illic ædificaſſe Monaſteria, & populis prædicantem, ut eamdem cum ipſo doctrinam fidei ſequerentur, perſuaſiſſe. Hæc confirmari poſſunt utriusque Georgii te- Zozom. Libro 2. Cap. 17.

S. Greg. Niſſen. in Baſilium pag. 488. ſtimoniis. Teſtatur Niſſenus ſolitudinem ſub Baſilio ad imitationem Joannis Baptiſtæ in Urbem converſam eſſe ob multitudinem eorum, qui ad Baſilium confluebant. Gregorius Nazianzenus jam multa illum ad utilitatem Eccleſiæ novaſſe dicit, cum ad presbyteri gradum evectus eſt. Hunc multiplex Dei benignitas, inquit, cum multis antea rebus, geſtis clarum effeciſſet, in ſacrum Presbyterorum ordinem adſcribit. Priusquam ad Sacerdotium fuiſſet promotus Baſilius, multos exegit in Ponti ſolitudine annos, & patet ex Epiſtola ejus 210. „ Cum, inquit, civiles tumul- „ tus fugiens in hoc loco, quem ad Philoſophandum ob „ ſolitudinis quietem idoneum eſſe cognoveram, annos plu- „ res continuos conſumpſi (annos 13. juxta Sozomenum) „ & quia fratres nunc ibi habitant, brevem a negotiis, qui- „ bus detineor, reſpirationem nactus, lubens ad hanc ſo- „ litudinem acceſsi, non ut inde aliis negotia exhiberem, „ ſed ut meo ipſe morem gererem deſiderio."

S. Greg. Nazianz. pag. 335.

Sozomen. Libro 6. Cap. 17.

§ II. Quo anno in Presbyterum ſit ordinatus Baſilius, non eſt una eruditorum ſententia. Baronius & Hermantius exiſtimant illum ordinatum fuiſſe eodem fere tempore ac Gregorium, idque Anno 362. Alii ſtatuunt ſerius Baſilium fuiſſe ordinatum, quam Gregorium, & non a Dianio, ut quidam voluerunt, ſed ab Euſebio Cæſareæ Anno 364. Evectus ad Sacerdotium Baſilius locum, non vero inſtitutum mutavit. Quemadmodum enim ex ſolitudine Urbem effecerat ſtudio juvandi proximi, ita in Urbe tamquam in ſolitudine verſari ſciebat, teſte Niſſeno, nec hominum frequentia, nec negotiorum multitudine, a pio,

Niſſenus Tom. 3. pag. 488.

& ſancto vivendi genere avocatus. Magnum ſane præſidium exſtitit Eccleſiæ Cæſarienſi in ejusmodi Presbytero, qui præter eloquentiam, qua Sophiſtas omnes illius ætatis longe ſuperabat, per multos annos ſeſe exercuerat in ſacris Scripturis legendis, in meditanda, ac propugnanda Eccleſiæ doctrina, ac in omnibus Monaſtici inſtituti virtutibus excolendis.

§ III. Eo charior Euſebio Episcopo debuiſſet eſſe Baſilius, quo magis eum in ferendo Epiſcopatus onere juvabat, ſed quamvis Gregorius diſenſionis cauſam conſulto taceat, videtur Baſilii fama, & ſummus ingenii, & doctrinæ ſplendor occulos Euſebii læſiſſe. Erat enim Euſebius cætera quidem fortis, & pietate conſpicuus Epiſcopus, ut perſecutio declaravit; ſed tamen recens in Cathedra collocatus, nondum omnes ſæculi affectus depoſuerat, ac humani aliquid paſſus eſt, & Baſilium Presbyterum ab Eccleſiæ adminiſtratione non ſine ignominia removit. Ducem ſuum ſic injuria affectum, & rejectum Monachi Cæſarienſes ferre non potuerunt, ſed ſtatim ab Epiſcopi communione recedere ſtatuunt cum magna honoratorum plebisque parte. Interea Baſilius hoc Schiſmate Eccleſiam dilacerari haud paſſus, conſiliario utens, & hortatore Gregorio fugit cum illo in Pontum, & Monaſteria, quæ illic erant, gubernat.

Nazianz. pag. 340.

Idem pag. 336.

§ IV. Seceſsio hæc Baſilii digna fuit admiratione, ſed multo dignior reditus exſtitit. Valenti enim Imperatore Ariano anno 365. imminente cum Epiſcopis Arianis Cæſarienſis Eccleſia in maximum periculum venerat propu-

gnatore suo, ac defensore sermonis, & Spiritus præsidiis instructo destituta. Verum facta reconciliatione authore eodem Gregorio, statim accurrit Cæsaream Basilius, ac nullis prorsus stimulatis reliquiis in animo residentibus totum se ad defensionem Ecclesiæ impendit: Omnia quippe simul præstat, inquit Gregorius, inimicitias deponit, consultat, aciem instruit, scandala, & offendicula, quæ in medio erant, submovet, cunctaque ea, quorum fiducia illi nos bello lacessendos putaverant. Alios assumit, alios retinet, alios propulsat. Aliis murus firmus, & vallum efficitur, aliis securis petram scindens, aut ignis in spinis, ut divina Scriptura loquitur, Sarmentitios homines, & in divinitatem contumeliosos facile absumens. Rediere ergo re infecta hæretici, tunc primum pudore suffusi, & victi, nec aliud quidquam ex tantis conatibus perceperunt, nisi ut invictum in defendenda Trinitatis fide Cappadocum animum perspicerent.

Nazian. Orat. 20. pag. 338.

CAPUT V.

Basilii arctissima conjunctio cum Eusebio Episcopo Cæsariensi.

§ I.

Reportata ex hæresi victoria Basilium cum Eusebio tam arcte conjunxit, ut nec Episcopo molestum esset ab eo, quem dignitate superabat, scientia & eloquentia, & consilio, & virtute superari, nec Basilius ideo Episcopum

mi-

minus coleret, & obſervaret, quod eo tot eſſet partibus ſuperior & præſtantior. Præclarum hunc concentum deſcribit Gregorius Nazianzenus. Quomodo autem Presbyteri munere perfunctus fuerit Baſilius, ſic narrat Nazianzenus. „ Jam vero ipſius erga Eccleſiam curæ ac præ„ſidii, quamquam multa alia quoque indicia ſunt, liber„tas ad Præſides, cum alios, tum potentiſsimos, quosque „ civitatis, controverſiarum diremptiones, nequaquam ſu„ſpectæ, ſed ab ejus voce formatæ, ac conſtitutæ, mo„doque tamquam lege utentes, egentium patrocinia, plura „ quidem ſpiritualia, ſed tamen corporea non pauca (nam „ id quoque ſæpe numero ad animam tendit per benevo„lentiam ſubigens, ac velut in ſervitutem trahens) pau„perum alendorum, hoſpitum excipiendorum, Virginum „ curandarum ſtudium, Monaſticarum legum inſtitutiones, „ partim ſcripto, partim voce traditæ, præcum deſcriptio„nes, Sacrarii concinnitates, ea denique omnia, quibus „ quispiam vere Dei homo, ac Deo adjunctus, plebi pro„deſſe queat." Duo indicantur hoc loco inſignia Baſilii opera, Regulæ Monaſticæ, ac Liturgia. Regulæ fuſiores ante ordinationem ſcriptæ cenſentur. Nihil enim habent, ex quo Baſilium tunc Presbyterum fuiſſe concludi poſſet: ait tantum ſibi neceſſe eſſe juſtificationes Dei annuntiare, quod quidem Aſcetæ diſcipulos inſtituenti convenit. Non ergo aliud opus indicat Gregorius (quam Regulas breviores) cum ſcriptas a Baſilio Monaſtici Inſtituti leges commemorat. In procemio enim Regularum breviorum manifeſte indicatur Sacerdotium, cum ait: „ Neceſſe eſt nos

S. Greg. Naz. Or. 20. pag. 339.

S. Greg. Nazianz. Epiſt. 9.

„ quidem, quibus creditum eſt munus docendi, paratos „ eſſe omni tempore, & promptos ad inſtruendas perſi- „ ciendasque animas, & modo publice coram tota Eccle- „ ſia conteſtari, modo privatim permittere unicuique eo- „ rum, qui ad nos acceſſerint, & ſuo arbitratu nos inte- „ rogare poſsint."

S. Baſilii Regulæ fuſiores 55. Breviores Nro 313.

§ II. Regulæ fuſius tractatæ ſunt 55. Breviores vero 313. Conſule benevole Lector codicem S. Baſilii. Nondum Regulas ſcripſerat Baſilius, ſed ſcribendi jam conſilium cœperat, cum Epiſtolam 22. exaravit, quæ eſt de perfectione vitæ Monaſticæ. In ipſo enim exordio teſtatur, cum multa ſint, quæ a Scriptura Sacra præcipiuntur, ſed de his interim, de quibus commota quæſtio fuerat, brevem admonitionem ſubjecturum, non appoſitis ſcripturæ teſtimoniis, ſed lectori ad agnoſcendum relictis. Nemo eſt ſane, qui ſi ejusmodi exordium legat attentius, non facile perſpiciat Baſilium, cum magnum aliquod de Inſtitutis Monaſticis opus meditaretur, in quo apponenda erant ſcripturæ teſtimonia, hæc interim breviter præcepta tradidiſſe. Epiſtolæ hujus tenor ſequens:

Epiſt. 22. alias 411.

§ III. „ Multa cum ſint, quæ divinitus inſpirata ſcri- „ ptura iis, qui Deo ſtudent placere, obſervanda declarat; „ de his ſolis interim, de quibus nunc apud vos commota „ quæſtio eſt, ut didici ex ipſa ſacra Scriptura, brevem ad- „ monitionem ſubjicere neceſſarium eſſe duxi: ita, ut de „ quaque re teſtimonium, haud ſane ad percipiendum diffi- „ cile, agnoſcendum iis relinquam, qui in legendo exer- „ centur, & alios ſubmonere poterunt. Oportet Chriſtia-

num

„ num ea, quæ vocatione cœlesti digna sunt, sentire, ac „ dignam Evangelio Christi vitam degere. Non oportet „ Christianum animo evagari, neque ulla re a recordatione „ Dei, ejusque placitorum, & judiciorum abduci. Oportet „ Christianum justificationes legis in omnibus transcendentem, „ neque jurare, neque mentiri. Non oportet blasphemare: „ non contumelia afficere: non pugnare: non semet „ ipsum ulcisci: non malum pro malo reddere; non irasci. „ Oportet quacumque læsum injuria patientem esse, atque „ tempestive eum, qui læsit redarguere, non propriæ vindictæ „ studio, sed correctionis fraternæ secundum mandatum „ Domini. Non oportet in absentem fratrem quidquam „ dicere, illius traducendi consilio, quodquidem obtrectatio „ est, etiamsi vera sint, quæ dicuntur. Aversari „ de fratre detrahentem oportet. Scurrilia non proferenda. „ Non ridendum, nec perferendi dicaces. Non „ loquendum otiose, aliquid proferendo, quod nec ad utilitatem „ audientium pertineat, nec ad necessarium & concessum „ nobis a Deo usum: adeo, ut & laborantes studeant, „ quantum fieri potest, silentio laborare; bonos „ autem ipsos sermones iis proponant, quibus commissum „ est prudenter dispensare sermonem ad ædificationem fidei; „ ne sanctus Dei spiritus afficiatur tristitia. Non oportet, „ ut quisquam ex supervenientibus libere accedat ad „ fratrum aliquem aut colloquatnr, antequam, ii quibus „ cura disciplinæ in omnibus servandæ commissa est, expenderint „ an ita placeat Deo, ut aliis prodesse possit. „ Non oportet vino inservire, neque carnis teneri desiderio,

„ rio, nec ullo prorſus in cibo, aut potu voluptatem quæ-
„ rere; nam qui certat, ſervat temperantiam in omnibus.
„ Nihil eorum, quæ utenda unicuique traduntur, oportet
„ habere, ut proprium, aut reſervare; ſed tamen quod
„ ſpectat ad curam, & ſolicitudinem, omnibus, ut ad
„ Dominum pertinentibus, attendentem, nihil eorum, quæ
„ projecta aut neglecta ſunt, ſi ita acciderit, præterire.
„ Non oportet quemquam vel ſui ipſius dominum eſſe, ſed
„ velut a Deo traditum in ſervitutem fratribus unanimis,
„ ita & ſentire omnia, & facere; unumquemque tamen in
„ ſuo ordine. Non oportet murmurare, nec in rerum ne-
„ ceſſariarum anguſtiis, nec in operum labore, quando-
„ quidem unumquodque judicii eſt eorum, quibus com-
„ miſſa rerum illarum poteſtas. Nec clamor fieri debet,
„ nec quævis alia ſpecies, aut motus ex quo ſignificetur
„ iracundia, aut animi aberratio ab hac perſuaſione;
„ Deum eſſe præſentem. Oportet vocem uſu metiri. Non
„ oportet petulanter, aut contemtim cuiquam reſpondere,
„ aut quiquam facere, ſed in omnibus modeſtiam, atque
„ reverentiam, erga omnes oſtendere. Non oculis in-
„ nuendum eſt eum dolo; nec alia quælibet ſpecies ad-
„ hibenda, aut membri motus, qui fratri afferat triſtitiam
„ aut contemptum indicet. Ornatus in veſtibus aut cal-
„ ceis quæri non debet; quod quidem vana oſtentatio eſt.
„ Viliora quæque adhibenda ad uſum corporis. Nihil
„ ultra id quod neceſſarium eſt, aut ad magnificentiam
„ inſumendum; quod quidem abuſus eſt. Honor exqui-
„ rendus non eſt, aut ambiendus primatus. Debet unus-

quis-

„ quisque cæteros ſibi anteferre. Non oportet inobſequen-
„ tem eſſe. Non oportet otioſum comedere eum, qui la-
„ borare poteſt: ſed & qui occupatur in eorum aliquo,
„ quæ ad Chriſti gloriam præclare fiunt, vim ſibiipſi fa-
„ cere debet ad ſtudium operis pro viribus conficiendi.
„ Oportet unumquemque, præpoſitis approbantibus, cum
„ ratione, & animi perſuaſione ita omnia facere, usque
„ ad ipſum etiam eſum, & potum, ut ad Dei glo-
„ riam referenda. Non oportet ab uno ad alium labo-
„ rem tranſire, citra approbationem eorum, qui ſunt re-
„ bus ejusmodi moderandis præpoſiti; niſi quempiam in-
„ eluctabilis neceſsitas ad auxilium debilioris ſubito vo-
„ caverit: debet unusquisque manere in eo, quod ipſi præ-
„ ſcriptum eſt; nec propriam menſuram transgrediens,
„ aggredi non præſcripta: niſi ii, quibus hæc commiſſa
„ ſunt, aliquem auxilio indigere judicaverint. Non opor-
„ tet reperiri quempiam ab alia officina in aliam abeun-
„ tem. Nihil ex contentionis ſtudio, aut ex ſimultate
„ cum aliquo ſuſcepta faciendum: Invidendum non eſt al-
„ terius laudi, neque cujusquam vitiis lætandum. Opor-
„ tet in charitate Chriſti dolere, & afflictari de fratris vi-
„ tiis, gaudere vero ob illius recte facta. Non oportet
„ indifferentem eſſe erga peccantes, aut ſilentio eos to-
„ lerare. Oportet, ut qui redarguit, cum omni commi-
„ ſeratione redarguat ex Dei timore, & eo conſilio, ut
„ convertat peccantem. Oportet, ut qui redarguitur aut
„ increpatur libenter id accipiat, ſuam ipſius in increpa-
„ tione utilitatem agnoſcens. Non oportet, ut cum aliquis

„ accusatur alius coram illo aut coram aliis nonnullis con-
„ tradicat accusanti. Quodsi quando accusatio videatur ali-
„ cui a ratione aliena, privatim coarguentem interrogare
„ debet, atque aut persuadere aut persuaderi. Oportet
„ unumquemque quantum in se est, ei qui adversum se ali-
„ quid habuerit, mederi. Non succensendum ei quem pec-
„ casse pœnitet, sed ex corde condonandum. Oportet eum,
„ qui peccati pœnitere se dicit, non compungi solum ob
„ peccatum admissum, sed fructus etiam pœnitentiæ di-
„ gnos facere. Qui pro prioribus peccatis correptus est,
„ ac veniam consequutus, is si rursus peccaverit, dete-
„ rius priore comparat sibimetipsi judicium iræ. Qui post
„ primam & alteram admonitionem permanet in delicto suo
„ indicandus præposito, si forte eum a pluribus corre-
„ ptum pudeat. Quod si ne sic quidem emendatus fuerit,
„ deinceps exscindendus est, ut scandalum, atque haben-
„ dus pro ethnico, & publicano ad securitatem eorum,
„ qui obedientiam sibi studio habent, secundum id, quod
„ dictum est; Impiis cadentibus justi timore corripiuntur.
„ Sed & deflendus est, ut membrum a corpore abscissum.
„ Non oportet in iracundia fratris solem occidere, ne nox
„ utrumque separet, ac in die judicii crimen ineluctabile
„ relinquat. Tempus non protrahendum ad sui emenda-
„ tionem, eo quod non constet de crastina; quippe cum
„ multi post multa consilia, crastinum non adepti sunt.
„ Non oportet ventris satietate decipi, ex qua imagines
„ nocturnæ nascuntur. Non oportet distrahi opere immo-
„ derato, nec debet quisquam frugalitatis terminos exce-

dere

„ dere ſecundum Apoſtolum dicentem: „ *Habentes autem* 1. Tim. 6. 8.
„ *alimenta & quibus tegamur, his contenti erimus*; pro-
„ pterea quod copia ultra neceſsitatem perducta imaginem
„ avaritiæ exhibet; avaritia vero idololatriæ nomine da-
„ mnetur. Non oportet argenti cupidem eſſe, neque the-
„ ſauros colligere in res inutiles, quæ non conveniant:
„ Oportet, ut, qui ad Deum accedit, paupertatem am-
„ plectatur in omnibus, & confixus ſit timore Dei, ſecun-
„ dum eum, qui dicit: *Confige timore tuo carnes meas;* Pſalm. 118. 120.
„ *a judicis enim tuis timui*. Det autem Dominus, ut
„ quæ diximus cum omni animi perſuaſione ſuſcipientes, ad
„ Dei gloriam dignos fructus Spiritus, Dei beneplacito,
„ atque Domini noſtri Jeſu Chriſti auxilio oſtendatis.
„ Amen."

§. IV. Vixit autem Cæſareæ Baſilius non in domo Epi-ſcopi, ſed in Monaſterio Presbyter, id perſpicitur ex Regulis Monaſticis, quarum Author cum Sacerdotio Monaſticum Inſtitutum conjungebat; huicque Monaſterio idem præfuiſſe videtur: Etenim in Epiſtola 81 inſignis ex urbis Presbyterio Sacerdos in Aſcetica, & continenti vita hactenus vixiſſe, & ex labore manuum ſibi cum fratribus ſimul degentibus victum dicitur comparare. Denique Baſilii ſtudium excipiendorum hoſpitum laudat Gregorius quo quidem officio in privatis ædibus & in ſumma rerum inopia, ad quam ſe lubens redegerat, vix perfungi potuiſſet.

§. V. Euſebio Epiſcopo Cæſarienſi Anno 370. in manibus Baſilii mortuo, nemo ſane tanta Sede dignior erat Baſilio. Neminem latebant eximia doctrinæ & ſanctitatis or-

namenta: Spectata omnibus erant summa de Ecclesia Cæsariensi merita, cujus administrandæ jam plurimas partes ab Episcopo commissas sustinuerat. Sed tamen quo minus hoc lumen excelso loco collocaretur, plurima obstiterunt, ea tamen Gregorius Nazianzi Episcopus omni studio removere satagebat. Scribit Clero, & Monachis, & honoratis, & Curiæ, & universæ plebi, neminem Basilio præferri debere, eumque coram Deo teste asseverat & vitæ, & doctrinæ sanctitate vel solum, vel omnium maxime aptum esse, qui Ecclesiam his molestissimis temporibus gubernet, neque illius corporis debilitatem obstare debere, cum Episcopus quæratur, non Athleta, ac præterea Dei virtus in ejusmodi infirmitate eluceat. Has seniculi Patris sui literas indicat Gregorius, cum ait: Literas scribebat, monebat, populum conciliabat Sacerdotes, cum alios, tum eos, qui altaris sunt, obtestabatur &c. Videbatur hanc ab eo solicitudinem pascere hujus Ecclesiæ status: Erat enim magna animorum dissensio. Basilium omnibus præferebant, selectissima & purissima pars populi, universus Clerus, & Monachi, sed invidebant & appugnabant Magistratus, ac infimæ plebis perditissimi, quique cum Magistratibus conjuncti, & quod inimicis religionis jocandi materiam dabat, ipsi etiam Episcopi. Erat omnino metuendum, ne Ariani, semper insidias Ecclesiæ Cæsariensi struentes eandem dissensionibus laborantem occuparent, & everterent. Accurrit etiam sanctus Eusebius Samosatenus. Et vicit abunde Spiritus Sanctus per Eusebium, & Gregorium, qui cum vehiculo, tamquam mortuus feretro, impositus fuisset, ex

labore vires traxit, & cum rem egregie adminiſtraſſet, ac dimicaſſet, Baſiliumque in Throno collocaſſet, firmus ac valens domum rediit.

§ VI. Quo anno ſanctus Baſilius conſecratus fuerit in Epiſcopum, diſſentiunt Critici; Baronius, & Bollandus Anno 369. ordinatum fuiſſe contendunt, Anno 370. Petavius & Tillemontius. Conſtat tamen ſanctum Baſilium Eccleſiæ Cæſarienſi octo annos præfuiſſe, & nonum incæpiſſe. Evectus ad tantam Sedem Baſilius, antequam ſe in pacificationem Eccleſiarum interponeret, domeſticis ſe finibus contraxit, ac primas Epiſcopatus ſui curas in componendis ſuæ Eccleſiæ moribus, ac colligenda Epiſcoporum Cappadociæ gratia inſumpſit. Teſtatur Gregorius Nazianzenus, Epiſcopatum in Baſilio non habuiſſe incrementum virtutum, ſed operationem latius patentem, quippe cum uberiorem materiam poteſtas ſuppeditaret; quare ex iis, quæ ab eo Presbytero geſta narrantur, ſpectari poteſt quid Epiſcopus geſſerit. Non modici, ut illis temporibus erant Cæſarienſis Eccleſiæ reditus, ſed Baſilius inter has opes pauperrimus (vi Monaſtici inſtituti) ſua omnia pauperum eſſe ducebat. Sic illius paupertatem, & auſterum vivendi genus prædicat Gregorius: Nempe tunicam unam, pallium unum, vigilias, obſonium, panem, & ſalem, ut hæc in Epiſcopatu etiam non intermiſſa, & in nullo mitigata fuiſſe videantur ſicque inſtitutum Monaſticum juxta Regulas a ſe conditas ad mortem usque ad amuſsim conſtanter obſervaſſe. Certe ipſe Baſilius coram modeſto Valentis præfecto dicebat, nihil prorſus ſibi eſſe præter laceros, &

Naziänz. Carm. 65. pag. 153. Niſſen. vit. S. Mart. pag. 177.

S. Greg. Nazianz. Orat. 20. pag. 343.

S. Greg. Nazianz. Orat. 20. pag. 356.

detritos pannos, & paucos libros, ſicque viventi facile erat in pauperes prolixum eſſe, ac liberalem. Quanto vero Sanctitatis in anima, & corpore ſervandæ ſtudio teneretur; perſpici poteſt ex his Caſsiani verbis: „ Fertur ſancti „ Baſilii, inquit, Cæſarienſis Epiſcopi diſtricta ſententia. „ Et mulierem, inquit, ignoro, & Virgo non ſum. In„ tantum intellexit incorruptionem Carnis non tam in mu„ lieris eſſe abſtinentia, quam in integritate cordis, quæ „ vere incorruptam perpetuo ſanctimoniam incorporis, vel „ timore Dei, vel amore caſtitatis cuſtodiat. Integer cor„ pore, & omnis expers libidinis perpetuo permanſit Ba„ ſilius, teſtante Gregorio cum nulla magis virtus Angelis „ cœleſtibus æquiparari poſsit; quam etſi quidam matri„ monio inferiorem putarunt, quod humanum genus ex ea „ deficere videtur, magnopere tamen errarunt. Nec Deus „ ipſe, niſi diſcipulis ſuis, & ſe plané ſequentibus tradere „ voluiſſet exemplum, Virgo ex Virgine natus permanſiſſet. „ Baſilius igitur hanc adeo dilexit, ut de vera virginitate „ ſermonem etiam conſcripſerit, per quem corporis pulchri„ tudinem in animæ decorem transfert. Omnis enim glo„ ria filiæ regis ab intus. Hucusque Gregorius."

Caſsian. Inſtit. Lib. 6. Cap. 19.

S. Greg. Nazianz. Monodia in vitam S. Baſi-lii M.

CAPUT VI.

Res fortiter geſtæ Monachorum pro Eccleſia Dei, ac ſalute animarum.

§ I.

Sublimitatem Monaſtici Status ex hoc quadripartito opuſculo meo poteris jam luculenter perſpicere, benevole Lector! Addo adhuc ſtrenuos labores, certamina, pericula, ipſas etiam mortes, quæ pro defenſione Fidei Catholicæ, ac animarum ſalute zeloſe, ac fortiter ſuſtinuere Venerabiles Monachi: Sub Valentis imperio, quanta hi paſsi ſint ab hæreticis Arianis, ſanctus Baſilius Magnus, ſi noſſe cupis, te docebit. Plenæ erant ſolitudines, quo eos in exilium Arianus Imperator abjecerat.

S. Baſil. Epiſt. 256. &257. item 243. ſeu juxta ord. antiquum Epiſt. 200. 303. & 70. Juxta ordinem novum.

§ II. In immenſum dilatabatur ſecta Arii, qui Filium Dei negabat eſſe Patri conſubſtantialem, ipſis præſulibus quoque magno numero deficientibus, quam proinde eo tum fœda erat facies Eccleſiæ! teſtantibus id diverſorum Orientis ſimul & Occidentis Conciliorum actis. Interim omnes Monachi non ſolum per Ægyptum, ſed per omnes etiam Romanas provincias decretis Concilii Niceni mordicitus adhæreſcentes teſte Sozomeno, in fide ſtabant inconcuſsi, ac ſinceri S. Athanaſii immitatores, conſtantiſsimi illi pene ſoli voces ejus pro Oraculis habentes, quodvis etiam graviſsimum propter ipſum diſcrimen ſubituri. Horum Duces erant ſanctus Antonius, Pambo, Heraclides, uter-

Ruff n. Lib. 1. Cap. 21.

Teſtant. Concilia Sirmien. Tyren. Seuician. Arininenſ.

Sozom. Lib. 3. Cap. 12.

S. Greg. Naz. de S. Athanaſio.

uterque Macarius, Chronius, Paphnutius, Pontubaftes, Arfifius, Magnus Serapion. Pithyrion, & Pachomius, qui in Ecclefia repræfentabant duodenarium numerum pretioforum lapidum, fuper quos ftructura muri Monafticæ Perfectionis foret inædificanda. Et quid lucri hi fimilesque Monachi reportaverunt exinde? Perfecutiones gravifsimas pafsi funt; ejecti ad metalla damnati, flagellati, conculcati ad mortem usque vincti, una cum Monafteriis exufti, cruciati, difcerpti, feris objecti, fœdumque in modum trucidati funt. Lucius fedis Alexandrinæ invafor ad Monafteria, tefte Sozomeno, arma furoris fui convertit, vaftat eremum, & Bella quiefcentibus Monachis indicit. Tria circiter millia Monachorum per eremum difperfa oppugnare aggreditur. Mittit armatam equitum ac peditum manum, tribunos, præpofitos & Bellorum Duces tamquam adverfum Barbaros pugnatores eligit; quos attamen ita repererunt omnes comparatos, ut mortem oppetere, & Cervices fua fponte gladiis fubjicere malent, quam decreta Concilii Nicæni negligere. Præter hos multi funt pafsi Epifcopi, quos fanctus Athanafius magno numero elegerat ex Monachis. Ex quibus præter Heraclidem fuit Dracontius, Serapion, Ammonius, Apollo, Agathus, Arifton, Muius, Paulus, Paphnutius, atque undecim illi, quos nominat fanctus Epiphanius, quosque Theodorus teftatur multis malis vexatos in exilium Diocæfaream Urbem Ethnicorum miffos fuiffe. „ Undecim Ægyptiacos Epifcopos Viros, qui ab ineunte usque ætate religionis gratia in defertis locis confenuiffent, quippe pietatem fidei inculpabilis

S. Athan. apolog. ad Conftant. & apol. 2. Epift. ad folitar. Ep. 2. ad Lucifer.

S. Greg. Naz. Orat. 21. & 25.

Cafsian. coll. 18. Cap. 7.

Sozom. Lib. 6. Cap. 20.

S. Athan. Epift. ad Dracon.

S. Epiph. Hæres 72. Nro 10.

Theodor. Lib. 4. Cap. 22. prope fin.

„ lis prædicarent, & educati lacte piorum dogmatum, vi„ ctoria ſæpe potiti in congreſſu Dæmonum, virtute ſua ve„ nerabiles adverſario, in Arianam ſectam ſapientiſsima ora„ tione fuiſſent invecti: Eos igitur inſtructi ab iſtius magni „ (Lucii) crudelitate exules ejecerunt in Urbem nomine „ Diocæſaream. — — — Clericos quoque Catholicæ Ec„ cleſiæ manentes Antiochiæ cum quibusdam in ſolitaria „ vita, ſeu Monaſtica ſpectatis in Pontum abigi curarunt „ ibidem fortaſſe vita etiam-ſpoliatos." Sicque adverſum pios famulos Dei exitiale bellum ſuſceperunt. Nec ſolum per Ægyptum, & Libyam ab Arianis in Monachos hæc geſta ſunt, verum etiam Fracia, Cæleſyria, Phœnicia, Palæſtina, aliæque Provinciæ viderunt Athletas, & Monachos pro ſincera fide ſimilia pati. S. Athan. Apolog. 2.

§ III. Magnas admodum, gravesque in Eccleſia turbas excitaverat Euthiches condam Archimandrita Conſtantinopolitanus, qui eſto in Concilio Epheſino cum Monachis adverſus Neſtorium fortiſsime ſteterat, verum indiſcretus Zelus ipſum egit in transverſum, dum, ne duas in Chriſto videretur cum Neſtorio admittere perſonas, duas in ipſo negavit naturas, multos quidem traxerat poſt ſe in errorem Monachos, ſed mox cognito errore hi reſipuerunt, Eutichisque ſectatores paſsim invaſerunt. Sed quid inde commodi reportarunt? Ex hiſtoria Eccleſiaſtica diſcimus eos Alexandriæ, & per Ægyptum a Pſeudo Epiſcopo Thimotheo Æluro graviſsime afflictos, vexatos, ejectos, occiſos. Idem eis evenit in ſecunda Syria a ſevero ſedis Antiochenæ invaſore, Petroque Fullone, & Epiſtola Theodoſii pag. 2. Concil. Chalced. Baron. A. D. 457. Epiſt. 22. Hormidæ.

aliquando dum magno numero ad mandram irent Simeonis Abbatis, una vice 350. ex insidiis occisi sunt, reliquis vulneratis, & dispersis; non pauci, etiam ad sacra altaria confugientes in ipso sacrario Sacrilege trucidati sunt, incensis Monasteriis, ducenti & octo Archimandritæ isthæc ad Hormisdam retulerunt. Exstat etiam Libellus a 94. Monachis & Archimandritis ad Agapetum Papam datus, sicut & alius ad Concilium Constantinopolitanum V. sub Menna, ubi queruntur, quod, cum resisterent præattactis Pseudo Episcopis, ipsis prius digitos esse fractos, deinde cum vim hanc declinaturi ad Ecclesias confugerent inde fuisse extractos, & occisos.

§. IV. Legantur acta Concilii VI. Constantinopolitani contra Monothelitas habiti, Petrus Presbyter & Monachus inter primos sedebat ac sententiam dicebat Vicarius sedis Alexandrinæ, Georgius vero Monachus Theodori Hierosolimitani Patriarchæ locum impleverat. Aderant & Roma Monachi ab Agathone Papa missi. Cæterique in jugulanda hæresi plurimum laborantes, præcipue autem maximus Abbas Chrisopolitanus sanctitate & sapientia in Ecclesia sicut sol rutilans discurrebat ab ortu per Occasum, & Africam ad Ovile Christi sectæ hujus viros reducturus, hinc vicit ac convertit Pyrrhum Patriarcham Constantinopolitanum, ejusque instinctu Romæ, aliisque in locis Concilia celebrata sunt, fidesque recta stabilita. Sed qua tandem mercede? Primum captus a Constante Imperatore, ac nudus per Urbem regiam ad tribunal tractus, post multas calumnias in exilium ejectus,

ite-

iterum poſt ſeptennium reductus, cum Anaſtaſio diſcipulo diſtentis nervis adeo crudeliter cæſus eſt, ut nullum membrum a plagis integrum relictum fuerit: poſt hæc lingua uterque mutilatus, tandem reſtibus crudeliſsime laceratus, aliisque tormentis confectus manus carnifici amputandas porrigere coactus, & iterum in exilium ejectus eſt, ubi poſt triennium ſic ſanctus Maximus Octogenarius pene ſenex migravit ad Dominum, quietus in cella ſua moriturus, ſi permiſiſſet Zelus animarum.

§ V. Luſtremus Concilium VII. Oecumenicum A. D. 787. Nicææ contra iconoclaſtas celebratum. Illico occurret Legatus Apoſtolicus Petrus Presbyter, & Monaſterii ſancti Sabbæ Romæ Hegumenus. Orientalium Patriarcharum, Alexandrini Antiocheni, & Hieroſolymitani fuere Legati Joannes & Thomas, Monachi, & Iharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus cuncta egit per officiales Monachos, ita ut in hac celeberrima Synodo Monahi inter Epiſcopos diſputarent, decernerent, & poſt ipſos ſubſcriberent. Nec mirum quia per univerſum Orbem conſtabat ſinceriſsimam fidem ab initio hujus hæreſis apud Monachos duraviſſe; nemo ſe eidem fortius oppoſuit, nemo Tyrannis ſic in faciem reſtitit, nemo voce ac calamo liberius locutus eſt. Ante hanc Synodum, præter ſanctum Germanum P. C. erat ſanctus Joannes Damaſcenus, Gregorius Cyprius, ſanctus Stephanus Abbas Auxentianus, & poſt Synodum ſanctus Theodorus ſtudita cum infinitis aliis Monachis, quorum virtus per infauſtum illud ſeculum inclaruit, & qui pro fide Chriſti infinita ſuppliciorum genera ſuſtinuere; con-

Actione 2.

ſule, Benevole Lector! vitas SS. Monachorum Damaſceni, Stephani Abbatis, Theodori ſtuditæ, ac reliquorum pro dogmatibus Orthodoxæ Eccleſiæ ad mortem usque decertantium. Sanctus Stephanus ſupra nominatus Chryſopolim captivus ductus, quid non perpeſſus eſt? Alii, (inquit Scriptor vitæ ejus) ipſum magno impetu trahebant: Alii fuſtibus a tergo feriebant — — Alii tibias ejus calcibus laniabant, faciem conſpuebant, alii denique petulantiores cæſis palmarum ramis ante ipſum incedebant cachinantes, & illudentes, & ſexcenta in eum dicteria jacientes, qui conjectus in carcerem paulo poſt interficiendus, concluſos eximiæ virtutis Monachos 342. ex variis locis collectos, atque in eodem carcere condemnatos invenit, qui partim aures exſecatas habebant, partim evulſos oculos, partim amputatas manus, ob id videlicet, quod pro venerandarum imaginum pictura, & erectione lucubratione ſedidiſſent. Inexhauſtus labor foret enumerare omnia genera tormentorum, quæ beatiſsimi Monachi ab iconoclaſtis per diverſas provincias exantlarunt. Gregorio Limniotæ prope centenario ſeni cutis capitis abſtracta, ac ſuper pictam tabellam exuſta eſt, deinde barba liquente pice conſperſa, atque incenſa, poſtremo per Urbem diſtractus, jugulatusque eſt, ſacris reliquiis canibus projectis. Joannes Monagrienſis Archimandrita ſacco incluſus, gravique ſaxo ipſi appenſo in mare dejectus eſt. Theodoro ſtuditæ, ac Theophani facies Jambicis verſibus inſcriptis deformata fuit. Lazaro pictori Monacho poſt crudelem excrutiationem manus, quibus ſacras imagines pingebat, ardentibus laminis inutiles redditæ ſunt. Innu-

Ignat. in vit. S. Tharaſii.

Vit. S. Steph.

Zonaras in Theophil.

meri

meri loris, nervis, flagris concisi sunt. Ut inter minima computanda sint exilia, carceres ac Monasteriorum direptiones, & concremationes per omnes Provincias; sic ut iis infelicibus temporibus nihil difficilius fuisset, quam intactum reperire Cœnobium, aut extra carceres viventem Monachum. Hæc merces dabatur laboribus Monachorum, qui si voluissent, extra teli actum esse potuissent, sed in tanta Ecclesiæ necessitate, Zelus Dei non sinebat ipsos esse otiosos, atque quiet.



SANCTI
BASILII MAGNI
CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ
DE JEJUNIO

HOMILIA I.

Psal. 80. 4. CLANGITE, inquit, *in initio mensis, buccina in insigni die solemnitatis vestræ.* Hoc mandatum est propheticum. Porro festum, quod hos dies antecedit, quavis tuba vocalius, & quovis instrumento musico significantius indicant nobis scripturæ recitatæ. Nam ex Esaia didicimus jejuniorum gratiam, qui ut Judaicum jejunandi modum
Esa. 58. 4. & 6. aversatus est, ita verum jejunium nobis commonstravit. *Ne jejunetis ad lites ac contentiones, sed dissolve omne vincu-*
Math. 6. 16. *lum iniquitatis.* Et Dominus: *Nolite fieri tristes, sed lava faciem tuam, & unge caput tuum.* Sic igitur animis affecti simus, quemadmodum sumus edocti, ac dies instantes haudquaquam tristi, sed hilari animo excipiamus, sicuti decet sanctos. Nemo dejectæ mentis coronatur, nemo mœrens trophæum statuit. Noli tristis esse, dum curaris. Absurdum fuerit non lætari de sanitate animæ, imo de commutatis cibis dolere, ac videri tales, qui plus tribuamus

vo-

voluptati ventris, quam curæ mentis. Nam in ventre sistitur satietatis delectatio, sed jejunium in animam subvehit lucrum. Sis hilari animo, quod tibi a medico datum est pharmacum efficax abolendo peccato. Quemadmodum enim vermes, qui in puerorum intestinis germinant, pharmacis quibusdam vehementer acribus & amaris excutiuntur, ita peccatum in intimis secessibus inhabitans, delet enecatque simul atque in animam supervenerit jejunium, quod scilicet vere sit hoc nomine dignum.

2. *Unge caput tuum, & lava faciem.* Ad mysteria te vocat scriptura. Qui unctus est, inunxit: qui ablutus fuit, abluit. Transfer præceptum ad interna membra. Ablue animam a peccatis. Unge caput unguento sancto, ut consortium habeas cum Christo, sicque accedito ad jejunium. Noli obscurare faciem tuam more hypocritarum. Obscuratur facies, cum internus affectus externo quodam habitu simulato obumbratur, mendacio veluti velo obtento contectus. Hypocrita est, qui in theatro personam sustinet alienam, sæpe heri, cum sit servus: aut regis cum sit privatus. Itidem in hac vita velut in orchestra quadam agunt plerique vitam theatricam, aliud in corde gerentes, aliud in specie hominibus ostendentes. Itaque ne obscures faciem. Qualis es, talis appare, ne te ipsum transfigures in habitum tristem ac tetricum, hinc laudem ac gloriam aucupans, quod videare continens, ac temperans. Neque enim boni operis, cui tuba præcinit, utilitas est ulla, neque fructus ullus jejunii, quod ad publicam fit ostentationem. Quæ enim ostentationis causa fiunt, ea nequaquam

por-

porrigunt fructum in sæculum venturum, verum in hominum laudem commendationemque desinunt. Proin hilariter accurre ad jejunii donum. Vetus donum est jejunium, quod non veterascit, nec senescit, sed usque renovatur, sed perpetuo vigore pubescit.

3. Putasne me jejunii antiquitatem a legis initio supputare? Etiam ipsa lege antiquius est jejunium. Paulisper si manseris, comperies verum esse quod dixi. Cave existimes diem propitiationis, qui designatus Israelitis erat mense septimo, decimo die mensis, fuisse jejunii principium. Ades huc, ac per historiam decurrens, vestiga jejunii antiquitatem. Neque enim recens inventum est, sed pretiosus thesaurus a majoribus repositus ac traditus. Quidquid vetustate præcellit, idem venerabile est. Reverere jejunii caniciem. Tam vetus est, ut simul cum homine condito cœperit: in Paradiso præscriptum est. Primum illud præ-
Gen. 2. 17. ceptum accepit Adamus: *De ligno scientiae boni & mali non comedetis.* Illud autem, *non comedetis*, jejunii & abstinentiæ lex est. Si a ligno jejunasset Eva, nequaquam
Matth. 9. 12. hoc nunc jejunio opus haberemus. *Neque enim opus est valentibus medico, sed male habentibus.* Fuimus per peccatum læsi, sanemur per pœnitentiam: pœnitentia autem sine
Gen. 3. 17. jejunio iners est & infrugifera. *Maledicta terra, spinas & tribulos germinabit tibi.* In tristitia vivere jussus es, non indulgere deliciis. Per jejunium satisfacito Deo. Quin & ipsa in Paradiso vita, jejunii simulacrum est, non ob id modo, quod homo communi cum Angelis vivendi ratione utens, ipsis efficiebatur similis, utpote paucis contentus:

ve-

verum etiam, quod quæcumque poſt hominum cogitatio commenta eſt, ea nondum degentibus in Paradiſo excogitata erant, nondum vini potatio nondum pecudum mactatio, non alia quæcumque perturbant mentem humanam.

4. Quoniam non jejunavimus, exulamus e Paradiſo: jejunemus igitur, ut ad illum revertamur. An non vides, quomodo Lazarus per jejunium ingreſſus eſt Paradiſum? Noli imitari Evæ inobedientiam, noli rurſus Serpentem in conſilium adhibere, edulium ad carnem mollius curandam proponentem. Ne cauſeris corporis infirmam valetudinem, ac debilitatem. Neque enim mihi iſtas excuſationes profers: ſed ſcienti dicis. Age, dic mihi, jejunare non potes, & potes continuo expleri cibis, potes conficere corpus pondere eſcarum? Atqui infirmis, non ciborum varietatem, ſed inediam & abſtinentiam a medicis ſolere præſcribi ſcio. Qui fit igitur, ut cum iſta poſsis, illa te non poſſe cauſeris? Utrum ventri facilius eſt tenui victu transmittere noctem, an copia ciborum gravatum jacere? Imo ne jacere quidem, ſed crebro huc & huc verti, dehiſcentem ac ſtridentem? Niſi forte dicturus es illud, quod naucleri facilius ſervant navim ſarcinis onuſtam quam eam, quæ expeditior eſt ac levior. Nam oneris magnitudine gravatam, quamvis exiguus fluctus adoriens demergit: contra, cujus ſarcina moderata eſt ac modica, hæc facile fluctus ſuperat; eo quod eam his fieri altiorem impediat nihil. Eumdem ad modum & hominum corpora, aſsidua expletione degravata facile a morbus demerguntur: quæ vero facili levique utuntur alimonia, non modo, quod ex morbo immi-

net malum, velut procellæ assultum effugiunt; verum etiam præsentem jam ægritudinem velut turbinem quemdam exorientem discutiunt. Videlicet juxta tuam sententiam laboriosius erit quiescere quam currere, & otiosum esse quam luctari: siquidem judicas congruentius esse infirmos deliciis expleri, quam parco tenuique uti victu. Nam vis illa qua animalia providetur, temperatum ac parcum victum nullo negotio concoquit, & in corporis quod alitur substantiam vertit. At eadem ubi opiparos variosque cibos complexa est, nec deinde par est his omnino coquendis, tum diversa gignit morborum genera.

5. Sed jam ad historiam se nostra recipiat oratio, jejunii antiquitatem percurrens, & quantopere omnes Sancti, perinde quasi hæreditatem à majoribus traditam, jejunium observaverint, patresque suis quique liberis tradiderint: unde & ad nos perpetua quadam successionis serie pervenit hæc possessio. Non erat in Paradiso vinum, non erat pecudum mactatio, non carnium esus. Post diluvium
Gen. 9. 3. cœpit vinum: post diluvium: *Comedite omnia sicut olera pabuli.* Posteaquam desperata est perfectio, tum denique his utendi concessa est potestas. Porro nullam tum fuisse vini experientiam, argumento est Noe, qui nesciebat vini usum. Nondum enim obrepserat in humanam vitam, nondum mortalium usu tritum erat. Itaque cum ille nec alium quemquam bibentem vidisset, nec ipse esset expertus, in
Gen. 9. 20. noxam a vino afferri solitam incidit incautus. *Plantavit enim Noe vineam, bibitque de fructu, & inebriatus est;* non quidem eo, quod vinolentus esset, sed quod sumendi vini

mo-

modum nesciret. Itaque inventum bibendi vinum, recentius est Paradiso, adeo vetusta est jejunii dignitas. Quin & Mosen novimus per jejunium accessisse ad montem. Neque enim ausus esset verticem fumantem attingere, neque ingredi in nubem, nisi fuisset jejunio obarmatus. Per jejunium legem accepit digito Dei scriptam in tabulis, atque in montis quidem cacumine jejunium legem impetravit, in radice vero montis ingluvies ad idololatriam dementavit. *Sedit enim populus, ut ederet ac biberet, & surrexerunt ad* Exod. *ludendum.* Quod famulus quadraginta dies jejunus assidue 32. 6. versans cum Deo, deprecansque confecerat, id unica temulentia reddidit irritum, infrugiferumque. Nam tabulas, quas jejunium impetrarat conscriptas digito Dei, ebrietas comminuit; judicavit quippe Propheta ebrium populum dignum non esse, qui legem acciperet a Deo. In unico temporis momento populus ille, qui maximis prodigiis Dei cognitionem acceperat, per gulam ad insanam Ægyptiorum idololatriam devolutus est. Hæc utraque inter se componito, hinc quomodo jejunium adjungat Deo, illinc quomodo luxus auferat salutem. Descende, ac via qua cœpisti ad inferiora perge.

6. Ecquid inquinavit Esau, & servum fecit fratris? Gen. 25. Nonne edulium unum, cujus gratia vendidit jus primoge- 33. niti? Jam Samuelem nonne deprecatio cum jejunio conjun- 1 Reg. 1. cta donavit matri? Quid fortissimum virum Sampsonem 15. invictum reddidit? an non jejunium, quocum in utero matris conceptus est? Hunc peperit jejunium, hunc enutrivit jejunium instar nutricis, jejunio in virum adolevit; quod

Jud. 13. jejunium Angelus præſcripſerat matri. *Quicquid profici-*
14. *ſcitur e vinea, ne edat; vinumque & ſiceram ne bibat.* Je-
junium Prophetas generat, roborat fortes: jejunium legum latoribus ſubminiſtrat ſapientiam: bona animæ cuſtodia, corpori tutus contubernalis, armatura fortiter belligerantibus, athletis exercitium. Hoc tentationes depellit, hoc ungit ad pietatem, ſobrietatis domeſticus comes, opifex caſtitatis. In bellis fortiter agit, in pace docet quietem. Nazaræum ſanctificat, perficit Sacerdotem. Neque enim fieri poteſt, ut absque jejunio audeat ad ſanctum miniſterium accedere, non tantum in myſtico horum temporum veroque cultu, verum etiam in eo, qui juxta legem in figuris
3 Reg. peragebatur. Jejunium Eliam magni illius ſpectaculi ſpe-
19. 8. ctatorem fecit, qui cum quadraginta dierum jejunio re-
purgaſſet animam, ita demnm in ſpelunca, quæ eſt in Choreb, promeruit videre Dominum, quantum quidem licet homini videre. Jejunans reddidit viduæ filium, fortis factus adverſus ipſam mortem per jejunium. Vox abs jejunantis ore profecta, ſcelerato populo clauſit cœlum annos tres, ac menſes ſex. Ut enim hominum duram cervicem habentium cor indomitum emolliret, voluit & ſeipſum ea calamitate cum cæteris condemnare. Propterea,
3 Reg. *Vivit Dominus*, inquit, *ſi erit aqua ſuper terram, niſi per*
17. 1. *os meum.* Et jejunium intulit per famem populo omni, videlicet ut ortam ex deliciis vitaque diſſoluta nequitiam corrigeret. Rurſus quinam victus Eliſæi? quomodo apud Sunamitidem hoſpitio uſus eſt? quomodo ipſe Prophetas excepit? Nonne agreſtia olera ac farinæ pauxillum hoſpi-

ta-

talitatis munus explebant? Quo tempore etiam colocynthide ſumpta, erant periclitaturi qui guſtarant, ni fuiſſet jejunatoris prece diſsipatum venenum. Atque, ut ſemel omnia dicam, reperies quotquot fuere ſancti, omnes per jejunium ad vitam Deo dignam inſtitutos fuiſſe. Ea eſt natura corporis cujusdem, quod *amianton* vocant, ut igni conſumi non poſsit. Id ſi in flammæ ponatur, videtur quidem igneſcere, & in prunam verti: ſed ſi eximatur igni, perinde quaſi fuiſſet aqua illuſtratum, evadit purius. Hujusmodi erant trium illorum puerorum corpora in Babylone, naturam *amianti* per jejunium habentia. Siquidem in vehementi fornacis flamma, quaſi natura fuiſſent aurei, ita apparuerunt noxa ignis ac injuria ſuperiores. Quin & auro oſtenſi ſunt fortiores. Neque enim ipſos conflabat ignis, ſed integros illibatosque tuebatur. Atqui nihil eſt, quod illam tum flammam ſuſtinere potuiſſet, quam naphthe, pix, & ſarmenta ſic alebant, ut ad quadraginta novem cubitos diffuſa eſſet, atque circumjacentia depaſcens, plurimos Chaldæos abſumpſerit. Hoc igitur tantum incendium pueri cum jejunio ingreſsi conculcarunt, liquidum ac roſcidum aerem in igne tam vehementi reſpirantes. Neque enim ignis vel pilos illorum auſus eſt attingere, eo quod a jejunio eſſent aliti.

7. Porro Daniel vir deſideriorum, cum tres hebdomadas panem non ediſſet, nec bibiſſet aquam, demiſſus in lacum etiam leones jejunare docuit. Neque enim leones dentes in illum impingere valuerunt, perinde quaſi e lapide, aut ære, aut alia quapiam rigidiore materia con- Dan. 10. 2.

cretus fuisset. Adeo jejunium velut quædam ferri tinctura firmarat viri illius corpus, ac leonibus insuperabile reddiderat. Neque enim os aperuerunt adversus sanctum. Jejunium restinxit vim ignis, obturavit ora leonum. Jejunium precationem trasmittit in cœlum, dum ipsi est alarum loco ad supernum iter conficiendum. Jejunium domorum incrementum est, sanitatis mater, juventutis pædagogus, ornamentum senibus, bonus comes viatoribus, tutus contubernalis conjugatis. Nullas maritus suspicatur jugio strui insidias, conspiciens uxori familiare jejunium. Non contabescit uxor zelotypia, cernens maritum amplecti jejunium. Quis rem familiarem diminuit in jejunio? Recense hodie domus supellectilem, ac postea denuo numera, nihil deerit ob jejunium in rebus domesticis. Nullum animal deplorat mortem, nusquam sanguis, nusquam sententia ab inexorabili ventre adversus animantia prolata. Cessat machæra coquorum, mensa contenta est sponte nascentibus.
Exod. 20. 10. Sabbatum Judæis erat traditum, *ut requiescat*, inquit, *jumentum tuum & servus tuus*. Sit jejunium famulis requies a perpetuis laboribus, qui tibi per totum annum inserviunt. Dato respirationem & moram coquo tuo, sine vacare structorem mensarum; siste pocillatoris manum, sit aliquando respiratio variorum bellariorum ac cupediarum architecto. Conquiescat tandem ipsa domus ab infinitis tumultibus, a fumo, a nidore, ab his qui sursum deorsum cursitant, ac ventri velut imperiosæ dominæ ministrant. Prorsus etiam tributorum exactores, sibi obnoxiis pusillum concedunt libertatis. Det aliquantum vacationis & ven-

ter ori, paciſcatur nobiscum quinque dierum inducias, qui ſemper alioqui flagitat, nec unquam deſinit, dum quod accepit hodie, cras obliviſcitur. Cum fuerit expletus, tum de abſtinentia philoſo[illegible]tur: ubi detumuit, dogmatum illorum obliviſcitur.

8. Jejunium non vivit fœnoris naturam, non olet uſuras jejunantis menſa, non præfocat orphanum jejunatoris filium æs alienum a patre conflatum, quod ſerpentium ritu circumvolvatur. Quamquam & alias jejunium occaſio eſt hilaritatis. Nam quemadmodum ſitis efficit, ut jucundus ſit potus, & ſicut quæ præivit fames, epulas ſuaves reddit: ita quoque quæ ſumuntur edulia, condit jejunium, atque edulcat. Dum enim medium ſe interponit, ac deliciarum continuum uſum interrumpit, ſumtionem, utpote intermiſſam, tibi jucundam exhibebit. Proinde ſi vis tibi menſam apparare ſuavem, admitte ex jejunio viciſsitudinem. Tu vero, quod deliciis nimium addictus es, inſipidas reddis tibi delicias imprudens, ac præ voluptatis amore voluptatem fugas. Nihil enim tam cupitum eſt, quod non abeat in faſtidium, ſi perpetuo fruare. At quæ raro habentur, his avide fruimur. Sic & qui condidit nos Deus, providit ut dona ipſius gratiam apud nos obtineant ipſa vivendi varietate, ac viciſsitudine. An non vides ſolem eſſe lætiorem poſt noctem? ac vigiliam eſſe jucundiorem poſt ſomnum? & ſanitatem eſſe deſiderabiliorem contraria expertis. Itidem & menſa eſt gratior poſt jejunium, idque ut divitibus, & iis, quibus menſa eſt opipara,

para, ita tenuibus, & iis, qui parabili facilique victu utuntur.

9. Terreat te divitis exemplum, quem vita in deliciis acta tradidit incendio. Non enim ob crimen injustitiæ, sed ob vitæ mollitiem in camini flamma torrebatur. Proin ut hoc incendium extinguamus, opus est aqua. Neque vero ad futura solum utile est jejunium, sed hic etiam ipsi carni conducibilius est. Siquidem habitudo corporis extreme bona sensim alteratur, mutaturque: nimirum succumbente natura, nec valente corpulentiæ pondus sustinere. Vide ne qui nunc aquam respuis, in posterum quoque exemplo divitis illius, stillam aquæ concupiscas. Nemo per aquæ potum lapsus est in crapulam, nulli caput unquam doluit aqua gravatum. Nullus eguit alienis pedibus, cui fuerit familiaris aquæ potus. Nullius pedes præpediti sunt, nullius manus usum suum amiserunt, aqua irrigatæ. Nam concoctionis vitium, quod viventes in deliciis necessario comitatur, acres morbos gignit in corporibus. Jejunantis color venerabilis est, non inverecundo rubore floridus, sed modesto pallore cohonestatus: oculi placidi, incessus compositus, vultus cogitatione defixus, nec intemperato risu dedecoratus, concinnus sermo, purum cor. Revoca in memoriam quotquot ab orbe condito
Hebr. 11. fuere sancti, *quibus dignus non erat mundus*, *qui circum-*
38. *ibant in pellibus ovium & caprarum*, *egentes*, *pressi*, *afflicti;* illorum imitare vitam, si modo illorum cupis assequi sortem. Quæ res Lazaro quietem paravit in sinu Abrahæ? Nonne jejunium? Porro Joannis vita, unum erat ac conti-

tinuum jejunium. Non habebat lectum, non menſam, non arva, non aratorem bovem, non triticum, non piſtorem, denique non aliud quidquam eorum, quæ ad victum pertinent. Ideoque *inter natos mulierum non ſurrexit major* Matth. 11. 11.
Joanne Baptiſta. Paulum cum alia, tum jejunium quod 2 Cor. 11.
ſuper afflictionibus ſuis glorians recenſet, in tertium cœ- 27. & 12. 2.
lum ſubvexit. Porro quod præcipuum eſt ex iis quæ di- Matth. 4. 2.
ximus, Dominus noſter non prius in carne, quam pro nobis aſſumpſerat, diaboli inſultus excepit, quam eam jejunio communiſſet, tum nos erudiens ut nosmet jejuniis ac tentationum certamina ungamus & exerceamus, tum adverſario per eſuritionem præbens accedendi quaſi anſam. Alioqui propter divinæ naturæ ſublimitatem non patebat ad illum aditus diabolo; niſi ſe per eſuritionem ad humanam imbecillitatem ſubmiſiſſet. Attamen priusquam reverteretur in cœlos, cibum guſtavit, corporis quod reſurrexerat naturam ac veritatem comprobaturus. Tu vero nullum ne finem facturus es teipſum ſupra modum ſaginandi ac carne onerandi? nullam ne animo ex fame & inedia extabeſcente, habiturus es rationem ſalutarium ac vivificorum dogmatum? An ignoras quod perinde atque in acie hinc atque hinc inſtructa, qui alteri parti fert ſuppetias, facit, ut altera vincatur: ita qui carni ſeſe adjungit, expugnat ſpiritum, & qui ad ſpiritum tranſit, carnem in ſervitutem redigit? Hæc enim ſibi invicem adverſantur. Proinde ſi cupis mentem reddere validam, fac carnem domes jejunio. Hoc enim eſt quod ait Apoſtolus, quod quantum externus homo corrumpitur, tantum internus renova-

2 Cor. 4. tur. Item illud: *Cum infirmor, tum potens ſum.* Itane
16. & 12. non contemnes iſtas eſcas, quæ corrumpuntur? itane non
te capiet illius menſæ deſiderium, quæ eſt in regno cœ-
lorum, quam prorſus hic jejunando tibi præparabis? An
ignoras quod immoderata expletione tibi ipſi pinguem tor-
torem vermem paras? Quis enim in ſplendidis epulis, per-
petuisque deliciis particeps factus eſt ullius doni ſpiritualis?
Moſes ut alteram acciperet legem, altero jejunio opus ha-
buit. Niſi una cum Ninivitis jejunaſſent & ipſa bruta ani-
malia, haud quaquam effugiſſent ſubverſionis comminatio-
Heb. 3. 17. nem. *Quorum cadavera proſtrata ſunt in deſerto?* Nonne
Num. 14. eorum, qui eſum carnium flagitabant? Illi donec erant con-
37. tenti Manna, & aqua de petra fluente ſuperabant Egyp-
Pſal. 104. tios, per mare faciebant iter, *non erat infirmus in tribu-*
37. Exod. 16. *bus eorum:* poſteaquam vero recordati ſunt carnium ollas;
3. & deſiderio reverſi ſunt in Ægyptum, non viderunt ter-
ram repromiſſam. Non metuis exemplum? non horres
edacitatem? ne forte a bonis quæ ſperamus, te excludat.
Ac ne Daniel quidem ille ſapiens viſiones vidiſſet, niſi je-
junio reddidiſſet animam limpidiorem. Siquidem pinguiore
paſtu ceu fumoſi quidam vapores exhalantur, qui lucem
ſancti Spiritus in hominis mentem irradiantem, quaſi denſa
nubes interveniens, intercipiunt. Quod ſi Angelorum quo-
que cibus eſt ullus, panis eſt, quemadmodum ait Propheta:
Pſal. 77. *Panem Angelorum manducavit homo.* Non carnes, non vi-
25. num, non denique quæcumque alia, quæ qui ſerviunt ventri,
ingenti ſtudio exquirunt. Jejunium armatura eſt ad confli-
Marc. 9. gendum cum dæmonibus. Nam *hoc genus non exit niſi*
28.

in

in oratione & jejunio. Tam multa bona proveniunt e jejunio: contra, ſatietas laſciviæ initium eſt. Statim enim una cum deliciis, ebrietate, & omni genere conditis bellariis, prodit libidinis pecuniæ genus omne. Hinc equi inſanientes in fœminas fiunt homines, ob œſtrum ac furorem quem in animo gignunt deliciæ. A temulentis orta eſt naturæ inverſio, dum in maſculino ſexu fœmininum, in fœminino maſculinum quærunt. Jejunium vero etiam in uſu conjugii modum temperantiamque docet, ac voluptatum lege conceſſarum immodicum uſum caſtigans, parit 1 Cor. 7. 5. concors otium, ut perſeverent in precatione.

10. Cave tamen ne jejunii utilitatem ſola eſcarum abſtinentia metiaris. Verum enim jejunium eſt a vitiis eſſe alienum. *Solve omne vinculum iniquitatis*: condona pro- Iſai 58. 6. ximo moleſtiam illatam tibi, remitte illi debita. *Nolite ad* Ibid. v. 4. *lites ac contentiones jejunare.* Carnes non edis, ſed comedis fratrem. A vino abſtines, ſed ab injuriis tibi non temperas. Exſpectas veſperam, ut cibum capias, ſed diem totum abſumis apud tribunalia. Væ iis, qui ebrii ſunt, non a vino. Ira, mentis eſt temulentia, eamque deſipientem reddit, haud aliter quam vinum. Triſtitia eſt quoque temulentia mentem obruens, ac demergens. Alia temulentia metus eſt, cum habetur ubi non oportet. *A timore* enim, inquit, Pſalm. 63. 2. *inimici eripe animam meam.* In ſumma, quivis affectus dimovens animam a ſtatu ſuo, dici merito poteſt ebrietas. Cogita mihi hominem ira percitum, quam temulentus ſit eo vitio. Non eſt ſui compos, non novit ſemetipſum, non novit, qui adſunt: ſed velut in pugna nocturna, omnes attingit,

in quoslibet obvios incidit, inconsiderata loquitur, non potest cohiberi, convitiatur, percutit, minatur, dejerat, vociferatur, disrumpitur. Fugito istam temulentiam, sed ne illam quidem, quæ ex vino nascitur, admitte. Noli aquæ potum largiore vini potu prævertere. Ne te ad jejunii mysteria introducat ebrietas. Non est per temulentiam aditus ad jejunium, quemadmodum nec ad justitiam accessus est per fraudationem, nec ad castimoniam per lasciviam, nec, ut summatim dicam, per nequitiam ad virtutem. Aliud ostium est ad jejunium. Ebrietas ad lasciviam inducit, ad jejunium frugalitas. Athleta ante certamen exercetur: qui jejunaturus est, præparat se per abstinentiam. Ne velut ulciscens hos dies, neu veluti fucum facturus legislatori, ante hos quinque dies colloca crapulam. Nam laboras frustra, si corpus quidem conficis, nec tamen solatium esuritioni admoves. Insidia est cella, in pertusum dolium infundis. Etenim vinum diffluit ad suam recurrens viam, contra remanet peccatum. Famulus profugit ab hero verberante: tu vero non recedis a vino, quod tuum quotidie caput percutit? Modus utendi vino optimus est, corporis necessitas. Quod si fines prætergredieris, postridie venies capitis gravedine affectus oscitans, vertigine laborans, putrefactum obolens vinum: omnia tibi circumferri, omnia circumvolvi videbuntur. Ebrietas ut somnum affert mortis germanum, ita vigiliam habet somniis assimilem.

11. An ignoras quem es hospitio excepturus? nimirum illum, qui nobis ita policitus est: *Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Cur igitur prius

Joan. 14. 23.

re-

recipis temulentiam, ac Domino ingreſſum præcludis? Cur hoſtem inducis, ut tua prior munimenta occupet? Ebrietas non recipit Dominum, ebrietas Spiritum ſanctum propellit. Fumus quidem abigit apes, dona vero ſpiritualia fugat crapula. Jejunium civitatis eſt ornamentum, fori columen, domorum pax, incolumitas facultatum. Vis jejunii videre dignitatem? Confer mihi hodierni diei veſperam cum veſpera craſtini, conſpicies civitatem e tumultu ac tempeſtate mutatam in profundam tranquillitatem. Utinam autem & hodiernus dies craſtino ſimilis ſit ſanctitate & gravitate, & craſtinus dies hodierno non cedat hilaritate. Cæterum, qui nos produxit ad hunc temporis recurſum Dominus, præſtet nobis tamquam certatoribus, ut in hoc certaminum exordio firmam ac conſtantem temperantiam oſtendamus, perveniamusque ad arbitram coronarum diem, ut recordemur nunc quidem ſalutiferæ Paſſionis, in futuro vero ſæculo fruamur præmio, pro his, quæ in hac vita geſſimus, reponendo in juſto judicio Chriſti ipſius, quoniam illi gloria in ſæcula, Amen.

FINIS PARTIS QUARTÆ.



ERRATA.

Pagina	Linea	Errata	Corrige
4	26	ſobrius	ſobrias
6	16	multos	multo
8	25	in aretum	in arctum
11	4	regulam	Regulum
14	17	contra duo unum	contra unum duo
32	5	e ſyri	etiam Syri
33	24	coquendis panis	coquendis panibus
33	ult.	ater	alter
39	21	quo paſſus	quot paſſus
40	2	de vida	de vita
40	5	vel habenas	vel habeas
49	8	moribus	majoribus
54	2	ultra horum	ultra horam
—	25	intraſſe	intra ſe
51	8	& propoſito	de propoſito
57	1	ad futurum	ad futuram
—	3	exſpectatum	expectatur
58	3	diſplibent	diſplicent
60	6	incrudulum	incredulum
—	27	ullum rem	ullam rem
67	2	cœnac'um	cœnaculum
77	3	ne h'c labor	hic labor
78	11	ſynaribus	ſynaxibus
88	2	ſub ratione	ſub oratione
89	20	deſcendi	deſcendit
—	25	lintulo	linteolo
91	20	pertriemum	per triennium
92	20	ut credi pars	ut credi par eſt
94	1	non medium	non medicum
97	3	adorare	ardore
—	26	imprudeti	imprudenti
88	8	eum	cum
101	26	ac pœnitentius	ac pœnitentis
104	ult.	indicunt	indicant
105	6	anilabus	analabus
—	18	eum	cum
111	23	fœdatum	fœdatam
114	26	prohibetæ	prohibete
124	20	gaudeat	gaudeant
129	13	adulterium	adulterinum
134	23	multa temporis	multum temporis
137	6	modeſto	Modeſto
148	4	ſtimulatis	ſimultatis

